A Anno ab incarnatione Domini noſtri Jeſu Chriſti milleſimo trigeſimo, menſe Septembri, Indictione tertia decima, ego Dominus Petrus Senior Soræ, & Arpini, filius bonæ memoriæ Domini Rainerii, ejuſdem civitatis, & Domina Doda, filia bonæ memoriæ Oderiſii Comitis, uxor ſupradicti Domini Petri, unà cum ejus voluntate, & abſolutione, bona, & ſpontanea voluntate noſtra declaramus, quia dum quadam die cogitare cœperimus intra noſmeptipſos, qualiter in peccatis concepti, & nati ſumus, & qualiter ab infantia noſtra die noctuque, horis, & momentis innumerabilia peccata commiſimus, & qualiter in illo terribili Judicio de omnibus factis noſtris, & cogitationibus, Deo rationem reddituri ſumus, & qualiter ab illo æquiſſimo Judice unuſquiſque recipiet ſecundùm opera ſua: Et rursùs dum cogitare cœpimus, qualiter impii, & peccatores, qui hìc peccata ſua redimere negligunt, in illam pavendam pœnam perpetuò cum diabolo damnabuntur; & qualiter juſti, & electi Dei in illa æterna beatitudine cum Domino gloriabuntur: ſubitò reſpexit nos divina pietas, & compunctum eſt cor noſtrum cum tremore, & æſtuatione cordis, & cœpimus cogitare, & quærere conſilium B à Sacerdotibus, & religioſis viris, qualiter innumerabilia peccata noſtra redimere potuiſſemus, & ab ira æterni Judicis, & à pœna æterna evadere. Accepimus conſilium ab eis: præterquàm renuntiare ſæculo, nihil eſſe melius, quàm Eleemoſynarum virtutem, & de propriis rebus & ſubſtantiis monaſterium conſtruere, & ibidem cœtus monachorum Deo famulantium coadunare, & ibi ſecundùm regulam & normam beati Benedicti laudem Deo reſonare, & vota perſolvere, & omni tempore pro animabus noſtris inceſſanter orare. Hoc conſilium ab eis lubenter, & ardentiſſimo amore accepimus, & cœpimus quærere inter noſmetipſos, ubi opportunum locum invenire potuiſſemus. Et ſic Deo concedente, invenimus locum in finibus Soræ, ubi dicitur, Inter formas, quem habebamus in rebus proprietatis noſtræ per chartulam acquiſitionis. Ibique nos ipſi Dominus Petrus, & Domina Doda ſimulatque communiter uno animo, mente una, novo fundamento conſtruximus Eccleſiam in honorem Domini noſtri Jeſu Chriſti, & ſanctæ Dei genitricis, & Virginis Mariæ, & tradidimus eam in manus viri venerabilis Domini Dominici Sacerdotis, & Abbatis, & ibi eum Abbatem conſtituimus, C ubi monaſterium conſtruxiſſet, & cœtus monachorum Deo famulantium eò advocaſſet, &c. *Baron. tom.*11. *ad an. Domini* 1030.

Epiſcopus, qui tum (ſi rectè teneo) Capuæ præerat, vidit majorem Benedictum Papam (ita dictus Benedictus Octavus major, reſpectu nepotis ejus, qui junior eſt Benedictus appellatus) qui jam obierat, nigro equo quaſi corporaliter inſidentem. Cumque illum cœptum iter carpere cerneret: Heus, inquit, nonnè tu es Papa Benedictus, quem defunctum liquidò novimus? Ipſe, inquit, infelix ego ſum. Et ille: Quomodo tibi eſt, Pater? Gravibus, ait, tormentis afficior; ſpe tamen, (ſi adjutorium præbeatur) de mea recuperatione non privor. Sed perge, quæſo, ad Fratrem meum Joannem, qui nunc Apoſtolicam occupat ſedem, eique, mea functus legatione, denuntia, ut illam potiſſimam ſummam, quæ in tali theca reconditur, in pauperes pro mea ſalute diſtribuat; ſicque me redimendum eſſe, quandocunque decreverit divina miſeratio, agnoſcat. Nam cætera, quæ pro me ſunt indigentibus tradita, nihil mihi penitùs profuerunt, quia de rapinis, & injuſtitiis acquiſita ſunt. Hic igitur Epiſcopus D Romam impiger adiit, & ubi Joanni Papæ defuncti Fratris Benedicti verba narravit, Epiſcopalis mox ſarcinæ pondus abjecit, monachum induit, eoque modo ſalutem ſibi ex aliena calamitate providit. *Idem Baron. eod. tom. anno Dom.* 1024. 3. *Ex Petro Damiani, in Epiſt. ad Nicol.* II. *Pontificem.*

Fuit in Centumcellenſi urbe Theophanius Comes, vir miſericordiæ actibus deditus bonis: quotidiè ad menſam ſuam peregrinos cùm ſuſciperet, quodam die peregrinus quidam inter alios advenit; ad menſam ductus eſt; dumque Paterfamilias ex humilitatis conſuetudine aquam vellet in ejus manibus fundere, converſus urceum accepit; ſed repentè eum, in cujus manibus aquam fundere voluerat, non invenit. Cumque hoc factum ſecum miraretur, eadem nocte ei Dominus per viſionem dixit: Cæteris diebus me in membris meis, heſterno autem die me in memetipſo ſuſcepiſti. *Ex D. Gregor. Mag. hom.*56. *in Euang.*

*Gregorius hom.*32. *in Euang.* narrat, duos martyres, habitu peregrino, & monaſtico, Matronæ cuidam religioſæ apparuiſſe; cumque illa de more eis eleemoſynam offerret, dixerunt: Tu nos modò viſitas, nos te in die Judicii requiremus, E & quidquid præſtiteris, præſtabimus tibi. Hoc eſt, quod S. Chryſoſt. ſcribit, Eleemoſyna adſtabit tribunali non modò patrocinans, verùm etiam Judici perſuadens, ut reo patrocinium præſtet, & pro eo ferat ſententiam. *Hom.*33. *ad pop.*

Similem opem promiſiſſe, & præſtitiſſe hoc ſæculo Carthuſianos martyres, ſub Henrico VIII. Angliæ Rege, Matronæ cuidam agonizanti, quæ eos in carcere eleemoſynis, omnique obſequio juverat, ex relatu fide dignorum virorum memoriæ prodidit *Corn. à Lapide Comment. in c.*26. *Deut.*

*FRUCTUS CORPORALES.
Exempla S. Scripturæ.

Proles promittitur Abrahamo propter Eleemoſynam. *Geneſ.* 18.

Abigail, ob panes aliquot Davidis militibus prudenter diſtributos, ad ſtatum Regium promovetur. 1. *Reg.*22.

Vidua, etiam pauper, Eliam magno cum gaudio hoſpitans, dignos percepit fructus. 3. *Reg.*17.

Mulier Sunamitis Eliſæum tranſeuntem hoſpitio ſuſcepit, F atque ideò ei filium impetravit, & eundem mortuum ſuſcitavit. 4. *Reg.*4.

Cùm evaſiſſet Paulus cum ſociis de confracta navi, Publius princeps triduo eis victum benignè exhibuit. Paulus autem patrem ipſius febri, & dyſenteria laborantem, oratione & manuum impoſitione ſanavit. *Act. c.*28.

Historica.

Adrianus ſecundus, patria Romanus, patre Valaro Epiſcopo, Sergio Pontifici familiaris fuit; à quo cùm aliquando denarios quadraginta dono accepiſſet, domum rediens, diſpenſatori mandavit, ut eos peregrinis & pauperibus, qui in veſtibulo domus ſuæ ſtabant, erogaret. Facere ille mandata conatus, cùm videret, ne minimæ quidem parti tantula re ſatisfieri poſſe, ad Adrianum rediens, rem ipſam exponit. Tum Adrianus accepta pecunia ad pauperes rediens, & ternos denarios ſingulis præſtitit, & totidem ſibi, rei familiari ſatisfacturus, reſervavit, admirante diſpenſatore miraculum rei. Cui Adrianus: Vides, inquit, quàm benignus, & largus ſit G Dominus, his præſertim, qui liberales, & munifici in pauperes ſunt? Hac & aliis virtutibus tanto in pretio apud omnes fuit, ut cùm de Pontifice creando ſermo haberetur, certatim omnes unicum Adrianum deligerent, quem etiam ab Eccleſia ſanctæ Dei Genitricis ad Præſepe, ad Lateranenſem Baſilicam nolentem detulere, ac ſtatim Pontificem crearunt. Non eſt habita in tanto tumultu cujuſpiam ratio. *Ex Platina in Vitis Pont. in Adrian.*2. *Alphonſus Salmeron. tom.*6. *tr.*27.

*Beda l.*3. *Anglicanæ hiſt. cap.*6. refert, quòd tempore quodam cùm Oſualdus Anglorum Rex, die ſancto paſchæ, cum Aidano Epiſcopo conſediſſet ad prandium, poſituſque eſſet in menſa coram eo diſcus argenteus regalibus epulis refertus, jamque eſſent manus ad panem benedicendum miſſuri, intravit ſubitò miniſter ipſius, cui ſuſcipiendorum inopum erat cura delegata, & indicavit Regi, quia multitudo pauperum undequaque adveniens maxima, per plateas ſederet, poſtulans aliquid eleemoſynæ à Rege. Qui mox dapes ſibimet appoſitas deferri pauperibus juſſit, ſed & diſcum argenteum confringi, atque iiſdem minutatim dividi præcepit. Quo viſo, Pontifex, qui aſſidebat, delectatus tali facto pietatis, apprehendit H dexteram ejus, & ait: Numquam inveteraſcat tam larga in dando manus. Quod & juxta votum benedictionis ejus provenit. Nam cùm interfecto illo in pugna, manus cum brachio à cætero eſſent corpore reſectæ, contigit, ut hactenùs incorruptæ perdurent. Denique in urbe Regia, quæ à Regina quadam nomine Dabba cognominatur, loculo incluſæ argenteo, in Eccleſia ſancti Petri ſervantur, ac digno à civibus honore venerantur.

Cum Justinus Imp. amiſſo ſenſu amens effectus eſſet, & per ſolam Sophiam Auguſtam ejus imperium regeretur, Tiberium Cæſarem elegerunt, utilem, ſtrenuum, atque ſapientem, eleemoſynarium, inopumque optimum defenſorem. Qui cùm multa de theſauris, quos Juſtinus aggregavit, pauperibus erogaret, & Auguſta eum frequentiùs increparet, quòd Rempublicam redegiſſet in paupertatem, diceretque: Quod ego multis annis congregavi, tu infrà paucum tempus prodigè diſpergis; ajebat ille: Non deerit fiſco noſtro: tantùm pauperes eleemoſynam accipiant, aut captivi redimantur: hic eſt enim magnus theſaurus, dicente Domino: Theſaurizate

A vobis theſauros in cœlo, ubi neque ærugo, neque tinea corrumpit, & ubi fures non effodiunt, nec furantur. Ergo de quo Deus dedit, congregemus per pauperes in cœlo, ut Dominus nobis augere dignetur in ſæculo. Et quia, ut diximus, magnus, & verus Chriſtianus erat, dum hilari diſtributione pauperibus opem præſtat, magis ac magis ei Dominus ſubminiſtrat. Nam deambulans per palatium, vidit in pavimento domus tabulam marmoream, in qua (*vide l. unicam, cap. nemini licere ſignum ſalvatoris Chriſti humi, vel in ſilice, vel in marmore, aut inſculpere, aut pingere*) Crux Dominica erat ſculpta, & ait: Cruce tua, Domine, frontem noſtram munimus & pectora, & ecce crucem ſub pedibus conculcamus. Et dicto citiùs juſſit eam auferri, defoſſaque tabula atque erecta, inveniunt ſubter & aliam hoc ſignum habentem. Nuntianteſque juſſit & illam auferri. Qua amota, reperiunt & tertiam: juſſuque ejus & hanc auferunt. Qua ablata, inveniunt magnum theſaurum, habentem ſupra mille auri centenaria. Sublatumque aurum pauperibus adhuc abundantiùs, ut conſueverat, ſubB miniſtrabat; nec ei Dominus aliquid deficere permittebat pro bona voluntate ſua. Quid ei Dominus impoſterùm tranſmiſerit, non omittam. Narſes ille dux Italiæ, cùm in quadam civitate domum magnam haberet, in Italiam cum multis theſauris egreſſus, ad ſupra memoratam urbem advenit: ibique in domo ſua occultè ciſternam magnam fodit, in quo multa millia centenariorum auri argentique repoſuit; ibique interfectis conſciis, uni tantummodò ſeni per juramentum condita commendavit, defunctoque Narſete, hæc ſub terra latebant. Cumque ſupradictus ſenex hujus eleemoſynas aſſiduè cerneret, pergit ad eum dicens: ſi, inquit, mihi aliquid prodeſt, magnam rem tibi Cæſar edicam. Cui ille: dic, ait, quod volueris; proderit enim tibi, ſi quidquam nobis profuturum eſſe narraveris. Theſaurum, inquit, Narſetis reconditum habeo, quod in extremo vitæ poſitus celare non poſſum. Tunc Cæſar Tyberius gaviſus, mittit uſque ad locum pueros ſuos. Præcedente verò ſene, hi ſequuntur attoniti. Pervenienteſque ad ciſternam, deopertam ingrediuntur: in qua tantum aurum argentumC que reperiunt, ut per multos dies vix evacuaretur à deportantibus. Ex hoc ille ampliùs hilari erogatione diſpenſavit egenis. *Greg. Tur. lib.* 5. *cap.* 19. *hiſt. Franc. Eutrop. lib.* 17. *Rerum Roman. Paul. Diacon. hiſt. Longob. l.* 3. *c.* 6. *anno Dom.* 576.

Ad Magnum Joannem aliquando euntem ad Eccleſiam, accedit quidam nobilis, cui fures, quas habebat, facultates diripuerant, & qui ſic erat ad extremam redactus paupertatem. Cujus miſertus, quæ tam brevi tempore acciderat, inopiæ cauſa, juſſit ei dari quindecim libras auri. Ille autem, qui juſſus fuerat dare, partim quidem cedens inobedientiæ, partim autem ſuggeſtioni eorum, qui adminiſtrabant res Eccleſiæ, tanquam non eſſent multa reliqua, utpotè quòd neſciret Magnus Joannes theſaurum recondere, præbuit quinque tantùm ei, qui rogaverat. Beato autem Joanni ex Eccleſia egredienti, mulier quædam vidua admodùm dives, ei tradidit chartam, in qua ſcriptum erat donum quingentarum librarum. Quam cùm legiſſet, intellexit ex ea, quæ in ipſo habitabat gratia, id quod non fuerat factum, prout juſſerat, de diminutione, inquam, quindecim librarum auri. Cùm eos erD gò, qui id fecerant, accerſiviſſet, de eo examinavit. Cùm autem ii de re geſta mentiri conarentur, & non ſolùm in re priùs, ſed etiam mendaces exiſtere in ſermone; eo ipſo, qui rogaverat, accerſito, cùm reſciviſſet eum accepiſſe ſolas quinque libras auri, oſtendens illis chartam mulieris: A vobis, inquit, Dominus eſt exacturus alias mille: Si enim vos quindecim libras, ut à nobis ſtatutum fuerat, ei qui rogarat, præbuiſſetis, mille & quingentas Deo præbuiſſet mulier. Ut autem factis fides fiat ejus, quod vobis eſt incredibile: accerſite, inquit, mihi hanc piam mulierem. Cùm ea autem acceſſiſſet, & aurum promiſſum attuliſſet: Dic mihi, inquit Patriarcha, an tantum pecuniæ ſtatuiſſes Deo offerre ab initio? Illa verò cùm ſenſiſſet illum non latuiſſe id, quod ſeorſum ab ea factum fuerat, magno metu correpta, univerſum arcanum enunciavit, dicens: Reverà mille & quingentas libras ſcripſeram in charta tibi data. Paucis autem poſt diebus cum eam evolviſſem, inveni mille, neſcio quomodo, ſua ſpontè deletas. Hinc judicavi, Deo omninò non placere, ut plures quingentis libris offerrem. Hæc illis qui audiverant, magnum metum injecerunt, & accedentes ſimul ad pedes magni Joannis, petierunt, ut ſibi remitteretur peccatum inobedientiæ. Ille autem Chriſti amanti vi- E duæ multam à Deo precatus benedictionem, dimiſit B. Joannes, ut abiret in pace. *Simeon Metaphr. in vita S. Ioan. Eleemoſynarii, & Brod. l.*6. *Coll. c.*10.

Occurrerunt aliquando in via ſancto Germano, Epiſcopo Antiſiodorenſi in Gallia, pauperes eleemoſynam poſtulantes. Conſulit ille Diaconum, quantum eſſet in ſumptibus. Tres tantùm aureos eſſe, reſpondit, quos ſtatim præcepit Epiſcopus erogari. Adhæc Diaconus: Unde victuri hodiè ſumus. Reſpondet ille: Paſcet Deus pauperes ſuos: Tu quod habes, præſta pauperibus. Diaconus, quaſi providus, duos erogat, reſervat unum. Dumque agitur iter cœptum, veniunt poſt eos equites concitati, à Leporio ſpectabili viro miſſi, qui ducentorum ſolidorum munus obtulerunt. Deinde converſus ad Diaconum, ait: Accipe quæ traduntur, & intellige te fraudem feciſſe pauperibus. Nam ſi totum, quod dedi, indigentibus contuliſſes, remunerator noſter trecentos hodie reddidiſſet. *In vita ejus apud Sur. tom.*4. *lib.*2. *c.* 11. *Julii* 31.

S. Marcellus Archimandrita monaſterii τῶν ἀκοιμήτων, F id eſt, non dormientium, juſſit œconomo ſuo, dari tribus Epiſcopis, à captivitate redeuntibus, quidquid auri habebat. Ille ex decem aureis novem dedit, uno retento; volens fungi officio boni œconomi. Venit paulò poſt ad Marcellum quidam, donans eum novem talentis. Quibus acceptis, ait ad œconomum Abbas: Ecce, ò avare, quis ſit exitus tuæ parſimoniæ; fecit, ut uno talento minùs acceperimus; decem utique accepturi, ſi decem aureos dediſſes. Hæc eſt menſura bona, conferta, coagitata, ſupereffluens, quam Chriſtus promiſit. *Aloyſius Lippomanus tom.*5. *ex Simeone Metaph. apud Sur.*29. *Decemb. c.*1.

Anno Domini trecenteſimo nonageſimo nono, Epiphanius Cypriorum Epiſcopus, ad cujus ſepulchrum hactenùs dæmones expelluntur, cùm ſubſtantiam propriam neceſſitatem ſuſtinentibus erogaſſet, & multis quoque offerentibus ei pecunias, manu largiſſima diſpenſaret, contigit, ut pecuniis deficientibus, œconomus Eccleſiæ murmuraret. Quo facto aſſiſtens quidam in domo, in qua habitabat œconomus, ſacculum multarum pecuniarum dedit, & ita diſparuit, ut nec qui dediſſet, nec qui miſiſſet, cognoſceretur. Quod factum om- G nes divinum eſſe judicaverunt. *Hiſt. tripart. l.*9. *cap.*48. *Anno Dom.*399.

Cum in Samo inſula eſſemus, narrabat nobis venerabilis pauperum cultrix Maria, mater Domini Pauli Candidati, dicens: Cùm eſſem in civitate Niſibe, erat ibi Chriſtiana mulier virum habens gentilem. Erant autem pauperes, habebant tamen quinquaginta numiſmata. Die verò quadam ait vir uxori ſuæ: Demus hæc numiſmata fœneratori, ut aliquod ſolatium ex eis capiamus; ea enim ſingulatim conſumimus, & deficiunt. Reſpondens autem illa bona uxor, ait viro: Si placet ea fœnerari, veni, demus illa ſub fœnore Deo Chriſtianorum. Dixit ei vir ejus: Et ubi eſt Deus Chriſtianorum, ut demus ei? At illa: Ego tibi illum oſtendam. Si enim huic dederis illa, non ſolùm non illa perdes, ſed & uſuras tibi perſolvet, & capitale duplum reddet. Qui ait illi: Eamus, oſtende illum mihi, & demus ei. Illa verò aſſumens virum ſuum, duxit in ſanctam Eccleſiam. Habet autem Eccleſia illa quinque magnas januas. Cùm ergo induxiſſet illum in Eccleſiæ porticum, oſtendit ei pauperes, dicens: Iſtis ſi præbueris, Deus Chriſtianorum ipſa accipit: Iſti enim omnes ſui ſunt. Qui mox H cum gaudio numiſmata cœpit erogare pauperibus. Reverſique ſunt in domum ſuam. Cum verò poſt menſes tres neceſſitate ſumptuum anguſtiarentur, ait vir uxori ſuæ: Soror, nihil, ut video, daturus eſt nobis Deus Chriſtianorum ex debito illo, & nunc anguſtiamur inopia. Reſpondit mulier, & ait illi: Profectò dabit: Vade, ubi illa dediſti, & exhibebit ea tibi cum omni alacritate. Quo audito, ille currens, abiit in ſanctam Eccleſiam, venienſque in locum, ubi erogaverat numiſmata pauperibus, & circumiens totam Eccleſiam, neminem vidit, qui ſibi debitum redderet, niſi ſolos pauperes denuò ſedentes. Cùm ergo cogitaret in ſe ipſo, cui diceret aliquid, vel à quo exigeret, aſpexit, ante pedes ſuos in marmore jacere numiſma unum ex illis, quæ pauperibus ipſe erogarat: inclinanſque ſe, & accipiens illud, abiit in domum ſuam, & ait conjugi ſuæ: Ecce profectus ſum in Eccleſiam, & crede mihi, mulier, quòd Deum Chriſtianorum non vidi, ut dixiſti, nulluſque mihi aliquid dedit, niſi quòd hoc numiſma ibi poſitum vidi, ubi ego priùs erogaveram. Tunc ait ad eum mulier illa mirabilis: Ipſe eſt, qui hoc tibi inviſibiliter præſtitit. Ille

A enim inviſibili poteſtate manus ſuæ diſponit hunc modum. Sed vade, domine mi, eme nobis aliquid, ut comedamus hodiè, rurſuſque ipſe providebit nobis. Abiit ille, emit ſibi panem, & vinum, & piſcem, & veniens domum, dedit uxori ſuæ. Quæ accipiens piſcem, cœpit ipſum purgare, exenteranſque illum, invenit in viſceribus ejus lapidem valdè mirabilem, ita ut miraretur mulier illius pulchritudinem. Non tamen ſciebat, quid eſſet. Servatum autem oſtendit revertenti viro, dicens: Ecce hunc lapidem in piſce reperi. Videns autem & ipſe miratus eſt quidem ipſius pulchritudinem, ignorabat tamen, quid eſſet. Cum autem comediſſet, ait uxori: Da mihi lapidem, ut vadam, & vendam illum, ſi quid fortaſſis pretii de illo accipere contingat. Neque enim, ut dixi, noverat & ipſe, quid eſſet, utpotè ſimplex & rudis. Tulit itaque lapidem, & abiit ad trapezitam, cujus erat proprium, talia emere, & vendere, invenitque illum jam clauſis omnibus egredientem (ad veſperum enim jam dies erat) & ait illi: Vis emere hunc lapidem? Ille verò conſiderans lapidem, dixit ei: Quid B vis, ut tibi pro eo ſolvam? Ait autem ille: Da quidquid vis. Ad quem ipſe: Accipe, inquit, quinque numiſmata. Putans autem venditor, quia illuderet ſibi, dicit ei: Et tantùm vis pro illo perſolvere? Exiſtimans trapezita, quòd ita ille per ironiam loqueretur, ait ipſi: Accipe decem pro eo numiſmata. Venditor iterùm ſe irrideri arbitrans, tacuit. Dicit illi trapezita: Viginti numiſmata accipe. Ille autem tacebat, nihil reſpondens. Cùm verò ad triginta, quadraginta, & quinquaginta numiſmata emptor aſcenderet, & ſe daturum ea juramento affirmaret, cœpit ille ampliùs lapidem æſtimare; paulatim verò emptor aſcendens, uſque ad trecenta numiſmata pervenit, deditque illa vendenti. Ipſe igitur dato lapide, acceptaque pecunia, venit ad uxorem ſuam gaudens. Quæ cùm vidiſſet illum exultantem, dixit: Quanti illum vendidiſti? Putabat autem, quòd illum quinque, vel decem minutis vendidiſſet. Tunc ille trecenta numiſmata proferens, dedit illa uxori ſuæ, dicens, tanti ſe illum vendidiſſe. Illa verò ſummam divinæ bonitatis clementiam admirans, dixit ei: Ecce Deus Chri- C ſtianorum qualis eſt? quàm bonus, quàm gratus, quàm dives? Vides, quia non ſolùm quinquaginta numiſmata tibi reddidit, quæ tu illi mutuaſti, ſed paucis diebus ipſa ſeptuplicata reſtituit? Agnoſce igitur, quia non eſt Deus alius, neque in terra, neque in cœlo, niſi ipſe ſolus. Ille verò miraculo admonitus, cum experimento didiciſſet & ipſe veritatem, effectus eſt repentè Chriſtianus, & glorificavit Deum, & Salvatorem noſtrum Jeſum Chriſtum, cum Patre, & Spiritu ſancto, plurimas referens gratias prudentiſſimæ uxori ſuæ, per quam vera Dei notitia ipſi in veritate eſt conceſſa. *Pratum ſpirit. cap.* 185.

Quidam Patrum enarravit nobis de quodam Epiſcopo, quòd relicto Epiſcopatu ſuo profectus eſt ad ſanctam civitatem, Antiochiam ſcilicet, quòd (ut dicemus) Theopolis, Dei civitas, fuiſſet divinitùs appellata; ibique ſumpto operarii habitu, miniſtraverit architectis. Eo verò tempore vir clemens, & miſericordiæ operibus deditus, Ephræm Comes Orientis erat, ac per ipſum ædificia publica reparabantur; civitas enim terræmotu conciderat. Die autem quadam videt per viſionem D Ephræm Epiſcopum, columnamque ignis ſuper eum ad cœlum uſque pertingentem. Hoc autem cùm non ſemel, nec bis, ſed ſæpiùs cerneret, obſtupuit Ephræm, (erat quippè viſio illa terribilis, & plena ſtuporis) cogitabatque apud ſemetipſum, quidnam hoc eſſet; neque agnoſcebat, quis eſſet ille mercenarius, videns illum coma neglecta, veſte ſordida, vili & abjecta, & nimia exercitatione, & continentia, jugiſque laboris fatigatione afflictum, & ſquallidum toto corporis cultu. Accerſitum autem operarium ejuſmodi Ephræm percontabatur, quiſnam eſſet: cœpitque ſeorſum agere cum illo, quo vocaretur nomine, & cujus civitatis eſſet oriundus. Qui ait ad illum: Ego unus pauperum hujus civitatis ſum: cumque non habeam, unde me ipſum ſuſtentare valeam, cogor ut poſſum, & Deus de laboribus meis paſcit me. Motus ergo divinitùs Ephræm reſpondit illi, & ait: Crede mihi, non te dimittam, donec mihi de te omnia veraciter proſecutus fueris. Cùm verò ita conſtringeretur, neque ſe ulteriùs poſſet abſcondere, dixit illi: Pollicere mihi, quia quamdiù fuero in vita hac, nemini dices, quæ circa me ſunt: & ego, ſuppreſſo tantùm nomine, vera tibi de me annuntiabo. Juravitque illi Comes, nulli ſe ea dicturum, quamdiù eſſet in E vita. Tunc ait illi: Ego Epiſcopus ſum, & propter Deum dimiſi Epiſcopatum, & veni huc quaſi ad ignotum locum: affligens autem carnem meam, & operans ex labore meo, modicum panis mihi acquiro. Tu verò quantùm potes, adjice ad eleemoſynam: his enim diebus Deus promovebit te ad Apoſtolicum thronum hujus civitatis, ut ſuum populum paſcas, quem acquiſivit per proprium ſanguinem Chriſtus verus Deus noſter. Ut igitur dixi, eleemoſynis inſiſte, & pro recta fide jugiter ſta & decerta: talibus enim ſacrificiis maximè delectatur Deus. Iſta, ut prædixerat, contigerunt: ſanctuſque Ephræm, his auditis, glorificavit Deum, dicens: Quantos habet occultos famulos, & ſoli ſibi cognitos Deus! *Prat. ſpirit. c.* 37. *& Bar. tom.7. Ann. Eccl. ſub an. Dom.* 526.

Narravit quidam Patrum, dicens: Aſcendi aliquando Conſtantinopolim cujuſdam neceſſitatis gratia. Cumque in Eccleſia ſederem, ingreſſus eſt quidam ſæcularis, maximè illuſtris, atque fideliſſimus. Is cùm aſpexiſſet me, accedens ſalutavit cum omni charitatis officio. Et poſt ſalutationem ſedit juxta me, & cœpit interrogare de his, quæ pertinent ad animæ ſalutem. Cumque ego illi dicerem, quòd his qui ritè terrena F diſponunt, cœleſtia quoque donantur: Benè, inquit, pater dixiſti: nam verè beatus eſt, qui ſpem ſuam in Deum ponit, & ſeipſum totum committit Deo. Et dicebat: Ego filius fui cujuſdam ſæcularis gloria clariſſimi. Erat autem ipſe pater meus eleemoſynis maximè deditus, & plurima pauperibus diſtribuebat. Die ergò quadam vocavit me, & oſtendit mihi omnes pecunias, dicens: Fili, quid tibi gratius eſt, ut dimittam tibi pecunias iſtas, an Chriſtum creatorem tuum? Ego, cùm placerent mihi, quæ faciebat, reſpondi, me Chriſtum malle: Iſta enim omnia prætereunt, & hodiè ſunt, & cras non erunt; Chriſtus manet in æternum. Quod ille cùm audiſſet, omnia jam liberè & larga manu pauperibus erogabat, ita ut moriens pauca admodùm mihi relinqueret. Ego autem, jam pauper effectus, humilis procedebam, ſpem meam habens in Chriſto, cui ille me reliquerat. Erat autem alius quidam dives valdè & primarius, habens uxorem fidelem Chriſto, & timentem Dominum: habebat autem & filiam unicam. Dixit ergo illa viro ſuo: Hanc ſolam habemus filiam, tantaque bona nobis largitus eſt Deus: cujus ergo rei indiget? Si quæſierimus illam dari alicui primario, & diviti, qui non G ſit bonis moribus, affliget eam ſemper. Quæramus illi virum humilem, & timentem Dominum, qui ſecundùm Deum illam diligeat, & foveat. Qui dixit illi: Rectè dixiſti. Perge ergo in Eccleſiam, & ora intentiſſimè, atque illic reſide, & qui primus ingreſſus fuerit, hic illi à Domino miſſus eſt ſponſus. Fecit igitur, ut juſſerat vir ejus: cumque oraſſet, & ſederet, ingreſſus ſum ego primus. Mittens ergo illa ſervum ſuum, continuò accerſivit me, cœpitque interrogare, dicens: Unde es? Ego autem dixi illi: Ex hac civitate ſum talis filius. Dixit autem mihi: Illius eleemoſynarii? Et dixi: Ita, illius ſum filius. Tunc ait mihi: Habes uxorem? Et dixi, Non; narravique illi, quæ mihi dixerat pater meus, & quæ ego reſponderam ipſi. Illa verò glorificans Dominum, ait: Ecce bonus curator tuus miſit tibi uxorem & pecunias, ut utaris utriſque cum timore Dei. Deditque mihi filiam ſuam, & pecunias. Ego autem oro, ut patris mei viam uſque in finem teneam. *Ib. c.*201.

Dum Ludovicus Germaniæ Rex apud Ratisbonam Bajoariæ civitatem gravi detineretur infirmitate, ita ut medici illum ſanitatem recuperare poſſe deſperarent, omne aurum, & argentum, quod in theſauris ſuis inveniri potuit, in diverſa monaſteriorum loca diſtribuit, & pauperibus erogavit. H Unde & à cœleſti Medico, cui ſe, ſuaque commendavit, ex inſperato curari promeruit. *Pithæus in Ann. Bar. tom.* 10. 869. 107.

Cum pervaſiſſet Hiſpaniam, atque Galliam peſtis inguinaria, navis ab Hiſpania unà cum negotio ſolito ad portum Turonenſis civitatis appulſa, prædicti morbi fomitem ſecum nequiter deferebat: de qua cum multi civium diverſa mercarentur, una confeſtim domus, in qua octo animæ erant, hoc contagio interfectis habitatoribus, relicta eſt vacua. Nec ſtatim hoc incendium luis per domos ſpargitur totas, ſed interrupto certi temporis ſpatio; ac velut in ſegetem flamma accenſa, urbs tota morbi incendio conflagravit. Quid autem Rex Guntheramnus pietate inſignis ad eandem luem avertendam præſtiterit, ne reliquas Galliæ civitates adiret, idem auctor ſæpiùs ita narrat: Ipſe autem Rex (ut ſæpè dicimus) in eleemoſynis magnus, in vigiliis, atque jejuniis promptus erat. Nam tunc ferebatur, Maſſilia à lue inguinaria valdè vaſtari, & hunc morbum uſque ad Lugdunenſem vicum Octavum

nomi-

A nomine fuiſſe celeriter populatum. Sed Rex, ac ſi bonus Sacerdos, providens remedia, quibus cicatrices peccatoris vulgi mederentur, juſſit, omnem populum ad Eccleſiam convenire, & rogationes ſumma devotione celebrari, & nihil aliud in uſum veſcendi, niſi panem hordeaceum cum aqua munda aſſumi, vigiliiſque adeſſe iſtanter omnes jubet. Quod eo tempore ita geſtum eſt: per triduum enim, ipſius eleemoſynis largiùs ſolito præcurrentibus, ita de cuncto populo formidabat, ut jam tunc non Rex tantùm, ſed etiam Sacerdos Domini putaretur, totam ſpem ſuam in Domini miſerationes transfundens, & in ipſo jactans cogitationes, quæ ſuperveniebant, à quo eas effectui tradi tota fidei integritate putabat.

Homo erat in Antiochia valdè devotus in eleemoſynis, conjugem, ac liberos habens: nec unquam ei in omni vita ſua dies præteriit, poſtquam quiddam proprium habere cœpit, quòd ſine paupere epulum prælibaſſet. Hic una die cùm circumiſſet urbem uſque ad veſperum, & reperire non potuiſſet egenum, cum quo cibum capere poſſet, egreſſus extra portam, cùm nox irrueret, reperit virum in veſte alba cum duo- B bus aliis ſtantem: quem aſpiciens, quaſi Loth ille antiqua memoratus hiſtoria, territus ait: Et forſitan peregrinus eſt dominus meus? dignetur accedere ad domum ſervi ſui, & ſumpto epulo quieſcite in ſtrato: manè autem proficiſcemini in viam, quam volueritis. Cui ille qui erat ſenior, tenens ſudarium in manu ſua, ait: Non poteras, ò homo Dei, cum Simeone veſtro hanc urbem ſalvare, ne ſubverteretur? Et elevans manum, excuſſit ſudarium, quod tenebat, ſuper medietatem urbis: & ſtatim corruerunt omnia ædificia, & quodcunque ibi ſtructum fuit, ibique oppreſſi ſunt ſenes cum infantibus, viri cum mulieribus, atque uterque ſexus interiit. Quod ille cernens, tam de perſona viri, quàm de ſonitu ruinæ hebes effectus, ruit in terram, & factus eſt velut mortuus: elevanſque iterùm vir ille manum cum ſudario, quaſi ſuper aliam medietatem urbis, apprehenſus eſt à duobus ſociis, qui cum eo erant, atque obſecratus terribilibus ſacramentis, ut indulgeret medietati urbis, ne rueret; mitigatoque furore, ſuſtinuit manum ſuam, atque elevans hominem, qui corruerat in terram, ait: Vade ad domum tuam, ne timeas: Filii enim tui cum uxore, & omni domo tua ſalvi ſunt, nec quiſquam ex C iis periit: Cuſtodivit enim te oratio aſſidua, & eleemoſynæ, quas quotidiè exerces in pauperes. Et hæc dicendo, diſceſſerunt ab oculis ejus, nec ei apparuerunt ultrà. Ille autem regreſſus in urbem, reperit urbis medietatem dirutam atque ſubverſam, cum hominibus pecoribuſque, ex quibus nonnulli à ruinis deinceps extracti ſunt mortui, pauci debilitati reperti ſunt vivi. Veruntamen nec illa caſſata ſunt, quæ viro huic ab ipſo, ut ita dicam, Angelo Domini ſunt effata. Nam veniens omnem domum ſuam incolumem reperit: tantùm funera propinquorum, quæ in aliis domibus effecta fuerant, lamentabatur; protexitque eum in medio iniquorum dextra Domini cum domo ſua, ſalvatuſque eſt à periculis mortis, ac velut memoratus Loth quondam in Sodomis. *Gregor. Turonenſis lib.*10. *hiſtor. Franc. cap.* 24. *Metaphraſt. in vita Sancti Alexii.*

ELEEMOSYNÆ NON PRÆSTITÆ VINDICTA DIVINA.

In monaſterio Abbatis Theodoſii in ſcopulo, inter Seleu- D ciam, & Roſum Ciliciæ, conſuetudo fuit, ut in cœna Domini pauperes omnes, & pupilli regionis hujus confluerent huc, & acciperent medium tritici ſextarium, benedictiones tredecim, & ſextarium vini, mediumque ſextarium mellis pro quolibet. Ante hoc autem triennium magna tritici ſterilitas fuit, vendebaturque triticum in regione hac ſextariis duodecim, uno numiſmate. Cum ergo veniſſent jejunii dies, dicunt Abbati noſtro quidam ex patribus: Noli, Domine Pater, ſecundùm conſuetudinem dare pauperibus triticum, ne deſit monaſterio: Triticum enim non invenitur. Abbas autem cœpit dicere fratribus: Non infringamus, filii, benedictionem patris noſtri Theodoſii. Videte, mandatum ſenis eſt, non expedit nobis illud tranſgredi. Verè ipſe eſt, qui curam noſtri gerit. Fratres autem perſtiterunt in ſua ſententia, dicentes Abbati: Non ſuppetit nobis quod dare poſſimus. Tunc Abbas contriſtatus ait illis: Ite, & ſecundùm quod vultis, facite. Non itaque, ut conſuetum erat, dederunt benedictionem in die ſancto cœnæ, & Paraſceues. Profectus poſtmodùm, qui præerat horreis, aperuit oſtia, & reperit triticum totum germinaſſe. Quare coacti poſteà ſumus in mare projicere. Tunc cœpit Abbas noſter dicere fratribus: Qui pa- E tris noſtri monita non facit, iſta patitur. Labores nunc inobedientiæ metire. Quingentos modios daturi eramus, & patri noſtro Theodoſio per obedientiam placuiſſemus, fratreſque noſtros pauperes conſolati fuiſſemus: nunc verò quinque ferè millia modiorum tritici perdidimus. Quid lucrati ſumus, filii? Quantum nobis ipſis nocuimus? Duo profectò mala egimus. Unum, quia mandatum patris noſtri præterivimus; alterum, quia ſpem in Deum non habuimus, ſed in horreo noſtro. Vel ex hoc diſcamus, fratres, quia Deus eſt, qui diſponit omne humanum genus, quòdque ſanctus Theodoſius inviſibiliter pro nobis filiis ſuis curam ſolicitè gerit. *Bredemb. coll. ſacr. lib.6. cap.21. ex Sophronii prato ſpirituali, cap.*85.

Fuit vir vitæ venerabilis Paulinus Nolanæ urbis ex nobili ſtirpe ortus: Taraſiam ſimilem ſibi ſortitus eſt uxorem, habens divitias multas, & tam in fundorum poſſeſſione, quàm in prædio domorum valdè dives erat, ac locuples. Sed cùm primùm aures ejus Euangelii lectio illa penetravit, in quo Dominus adoleſcentem pro divitiis arguit, dicens: Vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis the- F ſaurum in cœlo, & veni, ſequere me: facilius eſt, camelum per foramen acus tranſire, quàm divitem introire in regnum Dei; ſtatim venditis omnibus, quæ habebat, pauperibus erogavit. Exoneratus è cunctis cupiditatibus, magiſtrum liber ſequitur, per hæc ſe putans paradiſi divitiis locupletari, ſi videretur nihil de tranſitoriis poſſidere. Cui majeſtas divina tribuit, ut quod impoſſibile dixerat per Euangelium, hic poſſibiliter mereretur adimplere per actum. Quadam verò die venit ad eum, qui ſtipem peteret, & ait conjugi: Vade, & da ei, quod habet neceſſarium: quæ reſpondit, Non eſt nobis ampliùs, quàm unus panis: cui ille, Vade, inquit, porrige eum: Dominus enim dabit nobis victum: ſed illa quaſi ſtrenua reſervari cupiens, ne aliquid deeſſet, porrigere noluit. Intereà advenerunt quidam dicentes, miſſos ſe à dominis, ut illi annonæ, ac vini deferrent ſpeciem: ſed per hoc ſe moratos, quòd orta tempeſtas unam eis cum tritico abſtulerit navem. Tunc vir Dei converſus ad mulierem ait: Intellige, te nunc pauperi unum panem fuiſſe furatam, & ideò hanc navem eſſe merſam. *Greg. Tur. lib. de glor. confeſſ. cap.* 107. G

Quidam pauper & ſenex, marſupiis oneratus, venit ad littus maris: & accedens ad portum, petere eleemoſynam à Naucleris cœpit, atque illi, qui primus carinæ erat, importunior adſiſtebat, dicens: Da mihi aliquid. Tunc ille commotus ait: Abſiſte quæſo decrepite, & noli à nobis quærere quidquam: nihil enim hìc aliud præter lapides habemus. At ille ait: Si lapides dicis eſſe, quæ in tuis ditionibus navis hæc continet, omnia vertantur in lapides: & ſtatim cunctum navis onus, quod mandi potuit, in ſaxum converſum eſt. Ego enim ex his & dactylos vidi, & olivas aſpexi marmore duriores: Nam cùm in lapidis duritiam converſa fuiſſent, nunquam tamen colorem, quem habuiſſent, perdiderunt: eadem forma, eademque ſpecies erat. Dominus autem navis pœnitentia motus, inquiſitum ſenem nunquam potuit reperire: & ſicut ferunt, per multas civitates de iis, quæ in ſaxum mutata fuerant, ad videndum direxit, ut ſcilicet exemplum eſſet omnibus, ne ſimilia perpetrarent. *Idem ibid. c.*108. *& Sigebert. in Chron. ſub ann. Dom.* 606. *& Bar. tom.8. ſub ann. Dom.*605. H

Anno à partu Virgineo quingenteſimo quinquageſimo tertio, Conſtantinopoli dives quidam cùm ægrotaret, mortemque timeret, triginta libras argenti in pauperes erogavit: reſtitutus autem præter ſpem ſuam bonæ valetudini fraude Diaboli eò inductus eſt, ut facti eum pœniteret, hocque fideli cuidam amico ſuo aperiret. Monet ille hominem, ne huic malæ aſſentiatur cogitationi, Deumque irritet, qui propter iſtam largitatem miſeratus, ſanitatem donarit: alioqui fore, ut ſubita morte, nondum mutato facto, pereat. Cùm non moveretur ille, ſed magis magiſque irritaretur amicus: Quando, inquit, ſalutare conſilium non admittis, aliud tibi ſubjiciam poſcenti. Tunc verè miſericors ille: Agedum, ait, ad templum vade, & non te, ſed me in pauperes elargitum pecuniam iſtam dicito: ipſe ſtatim triginta libras reddam. Conſentiens infelix ille, ad templum abiit, auroque accepto, ita ut alter præceperat, locutus eſt. Inde egrediens, ad ipſam templi portam mortuus concidit. Clericis de rei novitate ſtupentibus, omnibuſque aliis, qui fortè aderant, jubentibus, alterum pecuniam recipere

 ſuam,

A ſuam, ille non obtemperavit: ſed inter egenos omnem diviſit, quòd diceret, Deum non pati ſannas : Promiſſam enim non tantùm Deo pecuniam , ſed verba voluntatemque obligant ; & quidquid homo Deo pollicitus fuerit , præſtare id opus habet , virgo virginitatem , continens continentiam , &c.

SABINIANI Papæ repentini obitus cauſam terribiliorem referunt ſcriptores : cujus totius rei geſtæ tragœdiam Sigebertus ita ſummatim complexus eſt . Cùm Sabinianus Papa & ipſe liberalitati Gregorii prædeceſſoris ſui derogaret , Gregorius eum per viſum ter pro culpa tenaciæ , & hujus derogationis increpitum, quòd non reſipiſceret , etiam quartò horribiliter increpans , & comminans , in capite percuſſit . Quo ille dolore vexatus , non multò poſt mortem obiit . Cujus rei gratia accidit (ut habet Anaſtaſius) ut eo defuncto , non ex more per medium civitatis deferretur cum funebri pompa corpus ejus ad baſilicam Sancti Petri , ſed ejiceretur extra urbem per portam ſancti Joannis , deferreturque extra muros uſque ad pontem Milvium , inde verò inferretur in ipſam ſancti Petri Eccleſiam , ubi eſt ſepulturæ mandatum : B exaſperatum enim admodùm fuiſſe adversùs eum populum Romanum , eò quòd triticum Eccleſiæ non erogaſſet (ut Sanctus Gregorius conſueverat) in pauperes , ſed venum expoſuiſſet triginta ſolidis modium unum . *Idem Baron. tom. 8. anno Dom.* 605.

Aliquando cùm eſſet magna fames , & panis non afferretur in forum , erat quidam Fauſtinianus immiſericors , qui multas habebat domos clauſas , plenas hordeo & frumento. Is accipiens aurum, dabat volenti . Dabat autem pro nummo tres menſuras , quæ vocantur modii : erantque magnæ anguſtiæ in civitate . Dixit ergo Epiphanius Fauſtiniano: Da mihi , ò optime, frumentum ad alendos homines , & à me accipies horum omnium debitum . Immiſericors autem , & barbarus , & ſceleratus Fauſtinianus hæc verba dixit Epiphanio : Roga Jeſum , quem colis , & dabit tibi frumentum ad alendos tuos amicos . Epiphanius itaque una nocte ingreſſus eſt cœmiteria Sanctorum Martyrum , & rogavit Deum , ut daret frumentum iis , qui erant redacti in anguſtias . Erat autem templum obſignatum , quod vocabatur C Tutela Jovis . Huic templo ſi quando quis ex hominibus appropinquaſſet , à multis ferebatur , quòd à morte ſtatim arriperetur . Cùm ergo Epiphanius Deum oraret pro iis, qui affligebantur , ad eum vox facta eſt , Epiphani, inquiens . Epiphanius autem nihil conturbatus : Quis es , inquit , Domine ; & dixit ei : Vade in templum, quod vocatur Tutela Jovis , & ſolventur ſignacula portarum , & invenies multum auri : Cùm tu id acceperis , eme frumentum , & hordeum Fauſtiniani , & da alimentum egentibus . Epiphanius autem ivit protinùs in templum , & cùm fuit propè ingreſſum templi , ſtatim ceciderunt ſignacula , & portæ apertæ ſunt . Ingreſſus autem Epiphanius invenit multum auri . Cùm ex eo ergo accepiſſet , dedit Fauſtiniano , & dixit : Accipe pecuniam , & da mihi frumentum . Epiphanius autem id præbuit indigentibus . Non defecerunt ergo pecuniæ , donec Epiphanius emit omnia, quæ habebat Fauſtinianus, ad alimentum . Implevit autem Epiphanius multas domos frumento , & hordeo , quod emerat à Fauſtiniano . Defecerunt autem eſcæ in domo Fauſtiniani , & inter omnes D homines lautæ erant epulæ , & magnæ anguſtiæ in domo Fauſtiniani . Malus verò , & violentus , & immiſericors Fauſtinianus, probrum eſſe ratus, cibos domui ſuæ petere ab Epiphanio , cum ſex haberet propria navigia , alia quoque quinque conduxit : & cùm dediſſet pecunias Longino totius familiæ ſuæ fideliſſimo , miſit eum ad emendum frumentum . Illi autem cùm navigaſſent in Calabriam , & frumentum illic emiſſent , poſt tres menſes adnavigant id habentes . Centum verò ſtadiis longè à Conſtantia , ex adverſo ejus , quod dicitur , Dianenterium , oritur in mari maxima tempeſtas , & venerunt in periculum naves Fauſtiniani , quæ afferebant frumentum , totumque frumentum mare ad littus impulit. Cùm hæc audiſſet Fauſtinianus , & ſtatim ad mare acceſſiſſet, & oculis vidiſſet , quæ facta fuerant, ſepulchrum habens os ſuum apertum , ſtatim cœpit ſceleratus blaſphemare in Altiſſimum , & probris appetere Epiphanium , dicens verba hujuſmodi : Hic magus & prædo non ſolùm in terra malefecit domui meæ omni tempore , ſed etiam in mare mittens dæmones , prohibet, ne ingrediatur id , quod eſt uſui familiæ meæ . O quis ventus emiſit hunc prædonem ? E Cumque hæc dixiſſet , & plura bis , ivit in domum ſuam minitans Epiphanio . Omnes autem, qui erant congregati in civitate viri, & mulieres, unà cum ſuis liberis, colligebant frumentum, & ferebant in domos ſuas, congregantes ſumptum , alius quidem unius anni , alius verò duorum annorum . Habebat autem Fauſtinianus uxorem , quæ faciebat bona opera . Ipſa ergo , inſciente Fauſtiniano , miſit bis mille nummos Epiphanio , ut domui ſuæ præberet alimenta . Dixit autem mulieri Epiphanius : Tene pecuniam in domo tua, & accipe eſculenta, quibus indiges, & quando terra produxerit, tunc reddes, quæ receperis. *Ex Simeone Metaph. Sur. 21. Maji, in vita S. Epiph. Ep. c. 53. & 54.*

In Svevia Bavaris , & Franconibus finitima , fuit quidam nobilis valdè dives , & opulentus , nomine Kickbergerus : cujus annui reditus ſupra triginta millia nummum aureorum extendebantur . Hic tametſi in reliquis vitæ actionibus non vulgari laude dignus cenſebatur , ineffabili tamen cupiditate laborabat; eaque factum eſt , ut quotidiè per fas & nefas accumulare , omniaque ad ſe rapere ſtuderet. Cum itaque proſpiceret annonæ caritatem, quæ proximo anno ea regione F ſubſecuta eſt , ſua horrea tritico, & frugibus implevit, magnoque pretio ea divendere cœpit, adeò ut indigenæ compulſi ab eo victum emere , ob inexhauſtam ejus avaritiam , vel fame prorsùs perirent , vel ſi ali & ſuſtentari vellent, ad magnam egeſtatem , atque inopiam redigerentur , tam carè illis granum, & reliqua ejus generis divendebat . Ad hunc , præter alios innumeros, venit quidam pauper, & liberis onuſtus , cum ſex taleris, eumque rogavit, ut pecuniam acciperet , ac quandam tritici menſuram ſibi daret, ſeque reliquam partem pecuniæ, quam illi deberet, brevi bona fide perſoluturum: at ipſe hunc ſuperbo vultu, atque iracundis oculis intuens, à ſe protinùs abire juſſit, & quod reliquum erat pecuniæ ſecum adferre, ſi frumentum vellet; atque ita miſer, ac mœſtus, diras imprecatus, illinc receſſit. Paucis poſt diebus cùm is quendam ex famulis in horreum miſiſſet , ut illud de more inſpiceret, ab ipſo in reditu accepit, tres nigros boves intùs eſſe, qui granum devorarent. Qui autem hoc retulit, proximo die lecto decumbens,haud multò poſt è vita migravit. Idem quoque accidit cuidam generoſo, quem illuc herus miſerat , ut videret, an ita ſe res haberet, ut prior narraverat: is enim G & boves, & equos inſpexerat. Cùm igitur de hac re certior fieri vellet, ipſemet in eum locum proficiſci ſtatuit: ivitque ad portam horrei, ibique per quaſdam rimas vidit totum horreum plenum variis , atque innumeris armentis , quæ omnes fruges abſumebant . Hoc ſpectaculo ita perterritus eſt, ut ſtatim furioſus atque inſanus evaſerit , multaque dementer fecerit , donec tandem catenis adſtringeretur . Hic horribilis caſus magnam ſanè admirationem attulit, cùm in ea provincia , tum præcipuè in aula Cæſariana , quæ illum anteà prudentiſſimum cognoverat . *Ex Petro Bizato in epi. tom. memorab. Europ. poſt ann. Dom. 1560. P. Mart. Delrio tom. 2. mag. l. 3. p. 1. qu. 7.*

Legimus, quadam in urbe Hominem cæterò bonum , caſtum, humilem, modeſtum, nullique obnoxium in Deum blaſphemiæ , adeò tamen aſperum , ut ne horum quidem emendicantium vocem ferre poſſet , remotiùs ab ædium janua novum ſtruxiſſe domicilium , unde nullos vel maximos pauperum clamores perciperet . Verùm ubi extremum ille diem obiit, ac elato in templum funere, ſacris Epiſcopus operari cœpit, ecce huic novum, & admirabile quidpiam objicitur. H Quoties enim ad populum hæc Epiſcopus verba protulit, *Dominus vobiſcum*, toties imago Chriſti Domini in crucem ſuffixi viſa eſt illi manus clavis eximere, ac in aures conjicere, ne preces pro illo defuncto factas exciperet . Tali monſtro attonitus Epiſcopus , peracto demum ſacrificio, tantæ rei cauſam rimari ſtatuit : nihil tamen à demortui vicinis aliud expromere potuit , quàm præclarum vitæ laudabilis teſtimonium . Et crevit non paulùm inde admiratio , donec tandem certis auctoribus accepit , quàm aſper ille & immitis in egenos exſtiterit , quos ne audire quidem , nedum adjuvare vellet ; tum enim ille certò advertit , Chriſtum dominum pro mortuo reſpuiſſe preces, qui pauperum clamoribus aures occluderet : cujus indicium fecerit imago Redemptoris , aures manibus obſtruens , juxta illud Sap. in Proverbiis: Qui obturat aureum ſuam ad clamorem pauperis, & ipſe clamabit , & non exaudietur . *Ex ſpeculo triſtium Ioan. Duegnii Hiſp. c. 5.*

☞ *Conſule Locum de Paupertate Tit. In pauperes Liberalitas, Duritia: Item Pœna crudelitatis in pauperes.*

* Ele-

A

* Elementum.

DEFINITIO, ACCEPTIONES VARIÆ.

ELementum,quod Græcis στοιχεῖον dicitur, definitur ab Ariſtotele *l. 5. met. & l. 2. de gen. & corrupt.* id ex quo quippiam fit, ita ut inſit. Intellige actu, vel potentia; ut inſinuat ipſe *l. 3. de cælo, c. 3. text. 31.* his verbis: Sit igitur id corporum elementum, in quod cætera corpora dividuntur, quibus ineſt potentia, vel actu: ipſum autem indiviſibile in diverſa ſecundùm ſpeciem.

Alio verò loco ita definit: Elementum eſt id ex quo primùm inſito, ac indiviſibili ſpecie in aliam ſpeciem, aliquid componitur. Id eſt elementum eſt id, ex quo aliquid ita conſtat, ut nihil priùs in compoſitionem ejus veniat; quodque ita ſe habet, ut in aliam rem diſtinctam ſpecie ſecari nequeat.

Elementi autem nomen uſurpari conſuevit uno modo, pro primis rei cujuſque principiis, ſive ea ſit naturalis, ſive artefacta; ſive ſit ars, ſive ſcientia. Qua ratione Litteræ orationis appellantur elementa, quòd ad orationes componendas primùm ſumantur, & in ipſas fiat poſtremùm diviſio. Ita & demonſtrationes in mathematica, dicuntur elementa.

B Secundò pro Principiis generalibus. Quomodo dicit Ariſtoteles,tria eſſe elementa,materiam, formam, & privationem.

Tertiò pro Materia prima. Ita ſumit Ariſtot. *In proœmio librorum de Phyſico auditu.*

Quartò, & communiter, pro quatuor mundi elementis, Igne, aere, aqua, terra.

SITUS, NUMERUS, ET QUALITATES.

Quatuor æternus genitalia corpora mundus
Continet; ex illis duo ſunt oneroſa, ſuoque
Pondere at inferiùs tellus atque unda feruntur.
Et totidem gravitate carent, nulloque premente.
Alta petunt, aer atque aere purior ignis. Ovid. l. 15. Met.

Idem in Faſtis:

Altum flamma petit, propior locus aera cepit.
Sederunt Medio terra fretumque loco.

Et iterum *lib. 1. Metamorphoſis*, ita canit.

Ignea convexi vis, & ſine pondere cæli
Emicuit, ſummaque locum ſibi legit in arce.
Proximus eſt aer illi levitate, locoque.
Denſior his tellus, elementaque grandia traxit,
Et preſſa eſt gravitate ſui: circumfluus humor
Vltima poſſedit, ſolidumque coercuit orbem.
C *Neu regio foret ulla ſuis animalibus orba.*
Aſtra tenent cæleſte ſolum formæque Deorum;
Ceſſerunt nitidis habitandæ piſcibus undæ;
Terra feras cepit, volucres agitabilis aer.

Idem 15. Met.

Quæ quamquam ſpatio diſtant, tamen omnia fiunt
Ex ipſis, & in ipſa cadunt reſultaque Tellus
In liquidas rareſcit aquas; tenuatus in auras
Aeraque humor abit; dempto quoque pondere rurſus
In ſuperos aer tenuiſſimus emicat ignes.
Inde retrocedunt, idemque retexitur ordo;
Ignis enim denſum ſpiſſatus in aera tranſit:
Hinc in aquas Tellus glomerata cogitur unda.

Haud aliter de iiſdem. *Manil. 52.*

Ignis in æthereas volucer ſe ſuſtulit auras
Summaque complexus ſtellantis culmina cæli
Flammarum vallo naturæ mœnia fecit.
Proximus in tenues deſcendit ſpiritus auras,
Aeraque extendit medium per inania mundi.
Ignem flatus alit vicinis ſubditus aſtris.
Tertia ſors undas ſtravit flatuſque natanteis,
Æquora perfundit toto naſcentia ponto.
Vt liquor exhalet tenueis, atque evomat auras,
D *Aeraque ex ipſo ducentem ſemina paſcat,*
Vltima ſubſedit glomerato pondere tellus.

Sunt qui infinita poſuerunt elementa, fingentes infinitam multitudinē inſectilium corporū, è quibus cætera coaleſcerent.

Sunt alii qui unum elementum conſtituunt, deinde raritate, ac denſitate omnia generari affirmant.

Parmenides duo ſtatuit, Ignem & Terram. Et quæ his intermedia, nempè Aerem, & Aquam, miſturas horum faciunt.

Plato tria facit,& medium quidem miſturam,ac congeriem.

Cæterùm inquit Ariſtoteles, communis ſententia tenet,eſſe quatuor. Quod probat aſſenſu veterum Philoſophorum, quorum neminem dicit quaternum numerum exceſſiſſe.

Itaque duo ſuperum locum tenent, ſcilicet aer, & ignis,duo inferum,aqua, & terra. Quæque extrema ſunt, magis pura, & ſincera habentur intermediis. Superiora verò inferioribus adverſantur propter contrarias qualitates.

Cujuſque verò elementi duplex eſt qualitas, in una tamen excellunt, eamque ſibi ut propriam vendicant. Nam terræ ſiccitas magis propria eſt, quàm frigus. Ideoque Deus appellavit initio creationis aridam terram. Aquæ frigiditas, quàm humor: Aeri humiditas magis,quàm calor: Igni calor, quàm ſiccitas. E De quibus ita Procopius in *Geneſ. c. 1. fol. 23.*

Ut riſibile proprium eſt hominis, & homo eſt nomen, ſeu vox ejus animalis, cui riſibile ineſt: Sic ariditas eſt proprium terræ, terraque ariditatem quaſi peculiariter habet. Frigiditas quidem quoque inhæret terræ, ſed non terræ quaſi proprium cenſetur, imò eam qualitatem communem poſſidet cum aqua. Ut aqua frigiditatem peculiariter tenet: Sic humiditatis cum aere particeps perhibetur. Ut aer ceu propriam retinet humiditatem: Sic quaſi per quandam ſocietatem ab igne calorem trahit. Ut ignis ceu proprium ſibi vendicat calorem: ſic cum terra patitur ariditatem, quam terra peculiarem adepta eſt. Et in hunc modum patet,ſingulis elementis quid ineſſe proprium, & quid quod cum cæteris habent commune. Per propria, ſingula à ſingulis ſeparantur: per communia, ſingula ſingulis connectuntur. Oportebat etenim eſſe ſeparata, ut ſinguli ſuam conſervarent naturam. Oportebat & aliquo nexu copulata eſſe, ut ex his corporum naſceretur compoſitio, cum aliud aliis eſſet conjunctum ſecundùm communem qualitatem. Quapropter Deus, optimus imponendi rebus nomina artifex, aridam appellavit terram: nec terram vocavit aridam. F

FORMA. PRODUCTIO. QUANTITAS.

Quoniam Elementorum eſſentia partim forma, partim materia conſtat, ut nihil de hac dicatur, quam communem habet cum cæteris corporibus ſublunaribus;circa formam diſſentiunt à Græcis Latini, & hi inter ſeſe.

Plerique arbitrantur, primas qualitates, formas eſſe ſubſtantiales quatuor elementorum: nempè calidum, ſiccum, frigidum, humidum. Communis tamen aliorum eſt ſententia, quam fusè proſequuntur commentatores *in c. 3. l. 2. Ariſt. de Gener. & Corrupt.* habere elementa ſuam formam à primis qualitatibus diſtinctam. Eaque ſententia vera, & Peripatetica.

Empedocles aſſeruit, ſed falsò,elementa generationis & corruptionis expertia.Fide enim credimus, Deum in initio creaſſe cœlum & terram. Idem Elementa vocabat Deos, & cœlum, ipſum etiam Deum, dicebatque, elementa fuiſſe priora Deo, id eſt cœlo. Quem errorem fides Chriſtiana facilè repellit.

Quo ad elementorum quantitatem, exiſtimatum à nonnullis, unumquodque elementum decuplo eſſe majus inferiore ſibi proximè cohærente, id eſt, aquam terra decies majorem, G aerem aqua, ignem aere.

Sed communior eſt ſententia, Terra profunditatem longè excedere aquam. Quia experientia conſtat, quòd loca maritima & maria hactenùs navigata, non requirunt, ut plurimùm longiorem bolidem, quàm ut ſummum dimidii milliaris. Sunt tamen quædam profundiora, quæ ad tria milliaria pertingunt.

Terræ verò diameter, ſecundùm probabiliorem mathematicorum ſententiam, ampliùs ſex mille & LXX. milliaria continet. Unde aquarum omnium profunditatem longè excedit. Ut colligit *Fernel. lib. 1. coſmogr. c. 2.*

Aeris profunditatem docent mathematici continere circiter LII. milliaria. Quia ſumma diſtantia ei ſit cometarum, & exhalationum. Vide *Petrum Nonium lib. de crepuſculo.*

Elemento ignis mathematici attribuunt profunditatem milliarium circiter 120578. ita ut ſpatium illud inchoetur ab ſumma altitudine exhalationum, & terminetur ad concavum Lunæ.

INTERITUS, SEU INNOVATIO.

Apoſtolus Petrus 2. *Epiſt. c. 3.* dicit, elementa calore ſolvenda; & Joannes in Apocalipſi dicit, in fine ſæculi cœlum fore H novum,& terram novam. Quibus teſtimoniis non ſignificatur, quoad ſubſtantiam mutandum cœlum, & elementa, ſed quoad accidentalem ſtatum, quem poſt Judicium univerſale perfectionrem conſequentur. Itaque renovabuntur duntaxat,neque ampliùs inſervient ad uſus illos, quibus ante inſervierunt. Videatur Auguſtin. *l. 20. de Civit. c. 24.* ubi locum illum Petri interpretatur. Et Hieron. *in c. 51. & 61. Iſaiæ.* Quorum teſtimonia maximè probabilem faciunt ſuperiorem ſententiam.

---

* Elephas. Elephanti.

UBI.

☞ *Vide Titulum de Loco. §. Greſſilium ferarum Loca. Elephanti, &c.*

Cicuratores Elephantorum. ☞ *Quære Domitores animalium. Et nonnulla in progreſſu hujus Tituli.*

Venatores. ☞ *Require Titulum de Venatione.*

IN EUROPAM EDVECTI.

EUropeis Elephanti tardè innotuerunt, & ἐλέφαντας (Pauſaniæ verba ſunt) πρῶτον ἐν Εὐρώπῃ Ἀλέξανδρος ἐκτήσατο: qui

A qui victa India intulit. Verùm ſtatim poſt Alexandrum crebri fuerunt. In Italiam tranſportavit Pyrrhus, bello quod cum Romanis fecit. Unde nobiles quoque Romæ haberi cœpti. Imò bello Punico tanta eorum erat copia, ut uno tempore CXLII. ceperit, & in urbem miſerit L. Metellus.

Crotilaus apud Plutarchum, à Paulo Æmilio, bello Pyrrhi CLX. Romam miſſos vult, & quidem turritos. Sit fides penès auctorem. *Plutarch. in Parallelis.*

Anno MDLXII. in Provinciis Belgicis unum etiam vidimus, à Rege Hiſpaniarum Cæſari dono miſſum, ſed puſillun, juvenem & rudem. Cujus exinde imaginem in ſolemnitate Circuitus, qui fit more patriæ in nundinis publicis, Antverpiæ circumducunt, in memoriam, quòd ibi ſpectandus aliquando expoſitus fuerit ab eo, cui directio illius credita fuerat.

USUS. IN BELLO.

Elephantorum uſus pleriſque in Regionibus, præſertim ubi bombardarum, & tormentorum graviorum ars exulat, & ante quàm ea inventa eſſet, frequens ad bellum erat. Docebant eos magna copia Afri, Aſiani, Græci, ad prælia. Hujus rei illuſtre exemplum præbet hiſtoria Machabæorum in Antiocho Rege,
B qui XXXII. elephantos in aciem produxit, quòque eos in prœliū redderet ferociores, oſtendit eis ſanguinem uvæ, & mori. Nulla enim re magis exaſperantur Elephanti, quàm colore ſanguineo, ut experientia notum eſt. Vocat autem Scriptura elephantos illos doctos ad prælium. Fuiſſe admodùm magnos elephantos Antiochi, ex hinc colligimus, quòd dicat hiſtoria ſacra, ſuper eos exſtructas turres ligneas, & ſuper eas inſuper machinas, & ſuper ſingulas viros XXXII. fuiſſe, qui pugnabant, præter magiſtrum beſtiæ. Plura his ſimilia exempla proſequitur *Philoſtratus*, & Geſnerus *l.1. de quadrupedibus. Lib.1. Machab.c.6.*

Idem Antiochus conceſſurus in Perſidem, ut acciperet tributa Regionum, reliquit Luſiam, hominem nobilem de genere regali, ſuper negotia regia, & ut filium ſuum Antiochum educaret, donec rediret. Tradiditque ei medium exercitum, & Elephantos. Nempè ad prælium. *Ibid.c.3.*

De eodem Antiocho, qui Philippo, & Perſæ Regibus Ceteorum bellum intulerat, legimus ibidem *c.8.* quòd habuerit in exercitu CXXI. *Machab.c.8.*

De Lyſia etiam eædem hiſtoriæ meminerunt, quòd mente effrenatus, in multitudine peditum, & in millibus equitum,
C & in LXXX. elephantis confidebat. *Lib.2. Machab.c.11.*

In exercitu Antiochi Eupatoris deſcribitur numerus peditum centum decem millia, elephantorum XXII. *ib. c.13.* atque ibidem ſubjicitur, Judam Machabeum irruiſſe nocte in caſtra, & interfeciſſe maximum elephantorum cum his qui ſuperpoſiti fuerant.

IN LUDIS.

Elephantorum etiam frequentiſſimus uſus in ludis: prout iſtius belluæ ingenium eſt ad quævis docile, & capax. Scribit enim *Augerius Busbecchius* Legatus Cæſar. majeſt. ad Imper. Turcicum, *In itinere ſuo Conſtantinopolit.* vidiſſe ſe Elephantum juvenem mirè lepidum, qui & ſaltaret, & pila luderet. Quippè ad cantum pedes movebat alternos, perindè ac ſi tripudiare vellet. Pilam verò in ſe conjectam proboſcide excipiebat, & repercutiebat, prout nos palma facimus:

GENERA.

Tria Elephantorum genera apud Authores inveniuntur. Paluſtres, Montani, & Campeſtres. Paluſtres leves dementeſque eſſe, compertum eſt. Montanos pravos, & inſidioſos. Campeſtres manſuetiores & magis dociles. Sunt & inter eos al-
D bi, & fuſci, ſive ſubnigri. Indici omnium ſunt ferociſſimi, eoſque Lybici, imbecillitatis ſuæ conſcii, fugiunt, teſte Solino. Sicut eventus docuit in prælio inter duos Reges, Ptolomeum, & Antiochum ad Raphiam, quod à Polybio deſcribitur. *Lib. 5. cap.11.*

Maximi omnium ſunt in Inſula Zeilam, ubi ad menſuram venduntur, tanti palmi ſinguli: ſic ut cum mole pretium creſcat.

FEROCIA, ET MANSUETUDO.

Vbi de illorum adverſariis, & aliis eos ſpectantibus.

Elephantus ferox animal, & maximum inter terreſtria, irritatur objecto albo, aut rubro colore. De poſteriore exemplum habes in Libris Machabæorum. De priore teſtatur *Plut. l.1. de fortuna, & virt. Alex.* Thuris odorem eos concitare, alii tradunt. Cæterùm conſpecto ariete manſueſcit elephantus, ſuccoque hordei epoto.

Nullum verò ſibi magis infeſtum hoſtem Elephas habet Rhinocerote. Qui quidem paulò inferior eſt elephante, ſed impenetrabili coruce armatus, perpetuo thorace protegitur, ac pedali oſſeo cornu armatur ſupra nares eminente, quo ferire ſub utero elephantum ſolet, & tranſverberare. Quin tanta eſt inter hæc animalia hoſtilitas, ut elephas etiam è longinquo ſuum hoſtem adoriatur. Cujus rei hiſtoriam narrat *Camerarius in operibus ſubſciſivis p.1.* de Rhinocerote quem Emanuel Rex Portugalliæ Romam mittere decreverat. Hunc E
ſcilicet ab Oceano, cum in portu Uliſſipponenſi exponeretur, ſubodoratum fuiſſe Elephantem, qui ibidem in Regia erat, clavoſque ferreos, & univerſa vincula perrupiſſe.

Sed & experientia notum eſt, validiſſimo huic animali eſſe naturaliter Νωσελέων quandam cum formica & mure: ſic ut non ſolùm omnem ferociam & vigorem amittat, ſed metu & formidine mirum in modum trepidet, & horreſcat. Quin ferunt, mures per villos pedum aſcendere uſque ad aures, iiſque ſe immittere, & cerebrum depaſcere. Quo fit, ut feles ordinariè alantur in ſtabulis, ubi illi detinentur.

INDOLES. INGENIUM. INDUSTRIA.

Philoſophici, & Hiſtorici qui de Elephanto ſcripſerunt, affirmant, nullam belluarum eo eſſe prudentiorem. Imò eidem cum genere humano ſocietatem attribuit Cicero. Proximumque humanis ſenſibus eum facit Plinius. Ac multa eidem cum homine communia Authores attribuunt.

INTELLECTUS PATRII SERMONIS. ET LAUDIS. F

Sermonem patrium, hoc eſt ſoli in quo nati, eos intelligere, *Plinius* & *Ælianus* teſtantur, ejuſque mirè capaces ſunt. Primùm, ait *Strabo*, captos vinclis & fame domant, deindè cicures eos reddunt, manſuetoſque, hos ſermone, alios cantu aliquo, aut tympani ſonitu delinientes. Teſtis omnium horum oculatus Chriſtophorus Acoſta, qui ad Orientalem Indiam abiit, & multa circa has belluas minimè belvina obſervavit. Atque inter alia dicit, Elephantos morbo quodam detineri, qui à furore vix diſtat, ejuſque cauſam amorem eſſe. Tum bacchari, furere, vinculis ſtringi. Neque aliter tolli morbum, quam Pharmaco verborum. Adſiſtere ſcilicet belluæ magiſtrum, increpare acriter, fœditatem oſtendere, ſtirpem proponere, & à natura degeneres mores.

Idem refert, in regno Malabar nihil eſſe acceptius, quàm quòd hæ belluæ inter ſe communicent ſermone. Unde & Oppianus inter ſe colloqui dicit.

> Φήμη δ' ὡς ἐλέφαντες ἐπ' ἀλλήλοις λαλέουσι,
> Φθογγὴν ἐκ σομάτων μεροπηΐδα πονθρύζοντες.
> *Fama eſt inter ſeſe ſermocinari Elephantas,*
> *Diſtinctaſque ſuſurrare, atque emittere voces.* G

Erat in urbe Cochin Elephas, inquit Acoſta, qui operas diurnas præbere ſolitus ad portum & res marinas. Eum fortè defatigatum urgebat Urbis Præfectus, ut Liburnicam quam cœperat commovere, in mare deduceret. Ille abnuere. Inſtare alius, atque blandiri. Et addere, ut in gratiam Regis Luſitaniæ id præſtet. Hic motus ille, ac voce clara ingeminat: Ho. Ho. quod Malabrium lingua, eſt, Volo. Ac ſine mora navim in mare traxit.

Refert Pierius de Hannone Elephanto [id ei nomen inditum fuerat] ab Emanuele Luſitaniæ Rege ad Leonem X. miſſo, quomodo nulla vi, aut ratione induci potuerit, navem conſcenderet. Ob quod inſuſurratum Regi, dolo magiſtri id fieri, qui ſuaderet beſtiæ, in longinquas Regiones ſibi abeundum, ubi malè haberetur. Neque enim magiſter ipſe libens diſcedebat, quòd ibidem deperiret quandam filiam. Igitur Rex dura ei minatus, niſi conaretur belluam inducere, ut intra triduum deſtinatum iter capeſſeret. Paret territus Regis comminatione, ac diſcipulum Hannonem aggreditur, eique proponit Regis voluntatem, & quòd ad primum Orbis Dominum, ac Principem maximum deſtinaretur: benè illi ac H
lautè omnia fore, multaque his ſimilia. Quibus auditis, in aliam ſententiam perductus Hannon, navem conſcendit, neque ultrò imperium directoris detrectavit.

Et quidem nomina illis imponi, ad quæ obtemperent, & audiant, teſtatur Gaguinus *in hiſt. Franch. lib.4. c.1.* ubi ſcribit, Aron Regem Perſarum miſiſſe Carolo Magno elephantum, cui nomen Abulabaz.

IMPERIORUM OBEDIENTIA. VARIAQUE INDUSTRIA.

Notum eſt ex nummis veteribus, Elephantos currui, & jugo fuiſſe adhibitos. *Oppianus* id retulit, & Romæ primùm Pompejus oſtendit. Quem poſtea Principes ſecuti. Exempla memorata id docent.

Sed & Indorum Regi XXIV. adſiſtere inſtar præſidiariorum, qui ſtationes & excubias ex ordine obſervent, Ælian. ſcribit *lib.13. c.22.*

Circa corpus autem eam in diſcendo habent celeritatem, ut illud ad omnem motum, aut geſtum ingeniculare, ſub-

A mittere, adorare Reges dicantur. Ita *Ariſt. l.9. hiſtor. cap.46.* Saltare, & choreas ducere, Plutarchus: ad ſcopum jaculari, natare, armis uti: *Strabo.*

In theatris quoque geſtus effingunt, eaſque varietates, quas humana induſtria vix queat comprehendere.

Plinius memorat, eos per funes incedere. Ita Seneca *Epiſt.* 86. Elephantem minimus Ætiophs jubet ſubſidere in genua, & ambulare per funem.

Galbam ante Imperium exhibuiſſe ſpectaculum Elephantis, qui ad faſtigium theatri conſcendit, atque illinc per funes decurrit, ſeſſorem ferens. *Svetonius.*

Plinius è Muciano adfirmat, quendam Elephantem litteras græcas pingere didiciſſe, eaque lingua ſcripſiſſe: (Ipſe ego hæc ſcripſi, & ſpolia Celtica dicavi.) Imò ſcribunt, ait de iiſdem *Philoſtratus*; atque tripudiant, & ad fiſtulam ſaliunt.

Quin *Ælianus*, vidi, ait, ego ipſe quendam in tabula Romanas litteras promuſcide ſcribentem, rectè & non contortè: erantque oculi in tabulam directi, ut attentos dixiſſes. *Lib. 2. var. c.11.*

Narrant *Ælianus*, & *Plinius*, atque ex iſtis I. *Lipſius Ep.*
B *Cent. 1. Miſcell. Ep.50. ad Ianum Hauterum*; quomodo olim in ludis quos Romæ in publico dedit Germanicus Cæſar, XII. Elephantes inducti in theatrum, hiſtrionias veſtes induti, & perſonam ſuam in ſcena magno ingenio egerint, ad ſpectantium ſtuporem. Quippè ut erant diverſi ſexus, decorè & ſimul verecundè menſis accumbebant, in lectis ſe reclinabant, cibos capiebant, & propinabant alter alteri, ac genialiter hauriebant.

Plutarchus, in Syria elephantem fuiſſe ſcribit, cui ſervus additus curator, qui quotidie de cibo detrahebat, quo belluam fraudabat. Accidit, ut præſente hero cibum daret, & quidem totum dimenſum. Elephas injuriam promuſcide notavit, accuratè partem hordei dividens, ac dimidio ſervato, videbatur de diario fraudato queri.

Alius cum rudera & terram miſceret, ut ea fraude menſuram expleret, elephas vindictam meditatus, cinerem è foro acceptum in ollam carnium plenam injecit.

Ex Acoſta aliud memoratur apud eundem Lipſium, quod omnem fidem excedit. Elephanti, ait, in urbe Cochin cibus non oblatus: barrit, magiſter excuſat, & vas æneum ejus ci-
C barium oſtendit perfluens, itaque ad fabrum ærarium jubet perferri reficiendum. Paret ille, & promuſcide affert, fabro offert. Ille infideliter reparat & obſtipat, Elephas refert, herus vitium videt, & indignatur. Inclamat & jubet redire cum vaſe. Facit, & querelas fabro impingit. Ille admoto malleo, claudere rimam ſimulat, nec claudit. Elephas lebetem reſumptum ad flumen refert, & aqua promuſcide hauſta implet, periculi faciendi cauſa. Videt effluere, plenus irarum ad fabrum redit, intonat magna voce. Confluunt vicini, & inter hos vicarius Regis. Faber blandis verbis demulcet belluam, vas reſumit, & refingit ex fide. Sed ille nè tunc fidens, refert ad flumen, aquam fundit; quam ubi contineri videt, ad adſtantes ſe vertit, & velut teſtes advocat, & ita demum domum abit.

MEMORIA.

Unum exemplum vetus eſt, pauca nova. *Michael Glycas* narrat in *Annalibus prima parte*, Elephantem cum in Circum deduceretur, ſedentem in foro Milliarium magiſtrum ferarum ſubita ira interfeciſſe; cauſam aliam violentiæ non fuiſſe, quàm quòd idem magiſter eum ante decennium eo loco ferro percuſſiſſet. Quam injuriam tot annos recondiderat.
D Aliud ex Acoſta medico Hiſpano, de quo ſuprà. Miles putamen vitis in urbe Cochin in elephantem conjicit. Ille tollit ſtudioſè, & condit. Poſt dies paucos militi obvius, idipſum in faciem ejus magno riſu eiicit, & exultabundus abit.

Eadem in urbe miles Elephanto obvio cum Rectore, detrectavit ei cedere. Rector contumeliam apud elephantem interpretatur. Qui poſt paucos deinde dies, in ripa Mangatæ fluminis, qui urbem alluit, militem otioſè ambulantem conſpicatus, illicò corripit, in altum tollit, & aliquoties flumine mergit, elevans ſubindè atque demittens. Eaque vindicta contentus, hominem loco, unde ſuſtulerat, reponit, & abit.

In urbe Goa elephas erat, qui annuo furore correptus, dum ruptis catenis vagaretur, ſervulum ulnis infantem geſtantem in ædes prorupiſſe, relicto infante, vidi. Hunc ille at ollit, in tectum vicinum ſecurè collocat, & iter proſequitur. Interpretabantur omnes, ex veteri beneficio puero parcere, quòd mater illius tranſeunti ſubinde panem, & fructus obtuliſſet. Lege plura apud eumdem Acoſtam.

AMOR.

Trita & nota eſt hiſtoria Elephantis, qui ſe præbuit rivalem Ariſtophani Grammatico, in adamanda Corrolaria qua- E
dam in Ægypto. *Plin. c.5. Plutarch. lib.* πότερα τῶν ζώων.

Similem hiſtoriam narrat *Ælianus lib.7. c.43.* In Antiochia Syriæ urbe, ait, elephas erat inter cicures more ſuo ad paſtiones jens, qui conſpecta muliere haud inſcita, eam deperiit. Utq; erat corrollaria, aſſiduus apud eum erat, promuſcide manus & faciem lambens, omnique ſe quo poterat, modo inſinuabat. Tandemque amore illius & mente captus, in furorem abiit.

Antigono Regi elephas fœmina fuit. Evenit, ut in urbis Megarenſis obſidione, puerum pareret uxor elephantiſtæ Indi. Is inter bellicas turbas elephanti Infantem commendat. Capit illa ſeriò in fidem ſuam, omniaque exhibet officia nutricis, & matris. *Athen. lib.13. c.30. Ælian. lib.10. c.14.*

GLORIÆ CUPIDITAS.

Hujus affectus exempla pleraque ſunt inter jam dicta. Erat, inquit *Plinius*, Elephas Antiocho Regi, cui nomen Ajas. Is dux plerumque agminis generoſus, & celſus. Evenit, ut flumen tranſeundum eſſet, renuit. Pronunciatum illicò à magiſtris, principatum inter eos obtenturum illum, qui primus tranſiviſſet. Intellexit, & ecce alius, cui Patroclus nomen, arripuit, & fluvium tranſmiſit. F

In Littore vicino urbi Goæ, ſcribit Acoſta, tormentum erat grande loco commovendum. Conatur elephas; non poteſt. Inſtigante magiſtro, duos Juniores elephantos oſtendit, qui id facerent, niſi ipſe faceret. Iterùm conatur tanto niſu, ut medius creparet.

PROBITAS.

Probum hoc animal, & pudicum, tradunt ſcriptores, in magiſtros etiam pium, & natos, quos nunquam deſerunt. Quin nonnunquam mœrore, aut inedia enecatos, *Strabo* tradit *l.4.* ſi aliquando magiſtros calore interfeciſſent. Etiam Senioribus naturæ impulſu juniores concedunt de loco, cibo, potu.

Prodit *Plinius*, & ex eo *Solinus*, ſemel tantùm parere, nec plures ſingulis. *Ariſtoteles* tradit, marem, quam ſemel inierit, ultra non tangere. Fœminam uterum biennio gerere, parere ſingulos. Videantur *Plinius*, & *Ælianus*.

ÆQUITAS.

Narrat *Cluſius ex Petr. Bell. in obſer.* quòd in Aſiatica peregrinatione hoſpitium diverterit medio die, & æſtu. In comitatu elephas erat, atq; in ſtabulo hoſpitii aſinus alicujus viatoris. Comedebat fortè hordeum illo ingrediente. Itaque aſinum pellit, G
hordeum invadit, & vorat: ſupervenit herus, & elephanto hordei menſuram ex more proponit. Qui memor rapinę prioris, ſpectante hero, & Bellonio, promuſcide hordeum dividit, & partem aſino procul ſtanti offert. Suaſque quiſque partes edunt.

Narrat *Ælianus*, Romæ eveniſſe Imperatori Tito, ut uxor Elephantiſtæ cum alio mœcharetur. Vidit elephas, & domini injuriam non ferens, utrumque dente transfigit. Deinde ita copulatos relinquit: dumque dominus adveniret, ſtragulo retecto facinus oſtendit, & ſe ultorem. Simile de magiſtro adulterante. *Scribit lib.3. cap.17.*

RELIGIO.

Sed & luſtrari aqua ſcribunt, & Solem Orientem adorare, *Plut. & Ælian.* teſtes. Lunam novam, *Plinius*. Quin & mortuos è ſuo genere ſepeliunt; & prætereuntes injiciunt humum. *Ælian. lib.3. c.10. lib.1. c.49. Oppianus* de hoc animante dixit:

> Μαντικὸν ἐν στήθεσιν ἔχειν κέαρ.
> *Divinum cor habere in pectore.*

Additque, præſcire eos fatalem ſuam horam. *Lib.39.* Et in Noviluniis, antequam in hominum conſpectum veniant, aquis perennibus ſe luſtrare, auctor eſt Dio. H

PROVIDENTIA.

Sed & providentiam immani huic belluæ adſcribunt plerique. Unde eos maria tranſmeaturos non priùs in naves ſubire, quàm de reditu ſacramentum illis luatur, teſtis eſt *Solinus c.28.*

A DEO DIRECTI.

Sub Ptolomæo Philopatre Evergetæ filio, cum populus Judæus eſſet captivus in Ægypto, mandavit Rex Satellitibus, ut Elephantes, vino libanatico inebriatos, Judæis immitterent, atque univerſos obtererent. Sed Judæis ad Deum converſis, Elephantes in milites ipſos deſævierunt, multoſque interfecerunt. *Camer. p.1. horar. ſucciſ.*

IN PRÆLIIS ANCEPS ET DUBIUS EVENTUS DUM ADHIBENTUR.

Aſiatici, & Afri, olim elephantos in prælium adhibuere. Romani raro, aut nunquam. Non enim ignorabant anceps in his belluis auxilium, eaſque nonnunquam plus damno, quàm uſui eſſe.

Appianus Alexandrinus hiſtoriam recenſet hujus rei teſtē. Erat Νωσελίων Dux Romanus, qui pugnaturus cū Segedenſibus & Ar-

A & Arvaceis, cum ccc. equites cum x. elephantis à Maſſaniſſa miſſis accepiſſet, & in hoſtem exercitum promoveret, belluas ne conſpici ab hoſte poſſent, poſt principia locat. Commiſſo prælio, cum ſe acies disjunxiſſet, belluæ ex improviſo conſpectę tantum injecerunt terroris, tum Celtiberis, tum aliis qui nunquam eas viderant, ut terga vertere cogerent, & Numantiam fugerent. Inſequitur fugientes Romanus Imperator, elephantos mœnibus adhibet. Inde adacto in caput elephanti ingenti ſaxo, ille immanem clamorem edidit, & ſocios in ſui facti conſortium attraxit. Qui pariter conterere Romanos cœperunt, & obvium quemq; abſque diſcrimine proſtraverunt. Hinc Romani in fugam præcipitem acti. Quod conſpicati Numantini, facta eruptione in hoſtem irruerunt, & cæſis quatuor millibus, captiſque tribus elephantis, armiſque pluribus, inſigni victoria potiti fuerunt. Refert *Camer. cent.2. horar. ſucciſiv. c.96.*

Simile memorat *Oſor. l.7.* cum Albuquertius Prætor Regis Luſitani Malacenſium Regem oppugnaret, eveniſſe. Quippè Rex caſtello, quod Elephas dorſo ſuſtinebat, vehebatur. Quem & elephanti armati ſequebantur. Cæterùm ea re minimè turbati, qui Albuquertii vices gerebant, elephanto principi viam
B permittebant, ejuſque latera haſtis perfodiebant. Bellua quamvis initio certaminis immanis & efferata, eſt tamen doloris impatiens, & facilè in ſuos convertitur. Itaque transfixus utrimque elephantus, rectorem promuſcide deturbat, & conculcat. Rex metu territus deſiliit. Elephantus in viciniores converſus, aciem aliorum turbavit, ac reliquos in fugam convertit.

Idem ſimile priori narrat de prælio, quod cum Zeilandenſibus à Brittio Luzitanorum duce geſtum eſt. Erant enim in agmine primo, præter pedites & equites, elephanti XXV. cum turribus, qui dentibus enſes alligatos geſtabant, quibus obvios admirabili dexteritate cædebant. Luſitani multitudine, & molle belluarum territi, de fuga cogitabant. Sed Brittius ſclopetariis univerſis imperavit, omnes uno impetu glandes plumbeos in belluas emitterent. Itaque illæ non ſtrepitu ſolùm exterritæ, ſed vulneribus terebratæ, in ſuos furere, equites proterere, & in effuſam fugam ſe conjicere. *Camer. ſupra.*

Eloquentia.

Definitio, et Ethymologia.

C Eloquentia, Græcè λογιότης, & λόγιος, eloquens dicitur. Eſt autem loqui, verba proferre; differtque à dicendo, quoniam dicere eſt, eleganter & facundè loqui. *Quintilianus*: Nam mihi ne dicere quidem videtur, niſi qui diſpoſitè, ornatè, copioſè dicit. Loquor autem à loco deſcendit: is enim qui loquitur, ſuo loco quodque verbum ſciens ponit. Nam qui primò incipit fari, & vocabula, & reliqua verba dicit, antequam ſuo loco ea ponere poſſit; talemque *Chryſippus* affirmat non loqui, ſed ut loqui. Quapropter ut hominis imago non eſt homo, ſic in corvis, cornicibus, pueris primitùs fari incipientibus, verba non eſſe verba: & loqui non centur. A loquor, quod eſt dico (eſtque proprium oratoris) fit eloquens, qui dicendi ratione provectus eſt: Et eloquentia, dictio ex omni parte perfecta: Et eloquium, quod modò ſermonem, modò eloquentiam ſignificat.

Eloquentia eſt copioſè loquens ſapientia: Eſt miniſtra comeſque ſapientiæ, uber, lata, & ad motus animorum, vulgique ſenſus accommodata. Græcis λογιότης dicta.

* Ejus Præstantia, et Vis.

Neque verò quicquam præſtabilius eſt, quàm poſſe dicendo tenere hominum cœtus, mentes allicere, voluntates impellere
D quò velit; unde autem velit, deducere. Hæc una res in omni libero populo, maximèque in pacatis, tranquilliſque civitatibus præcipuè ſemper floruit, ſemperque dominata eſt: Quid enim eſt, aut tam admirabile, quàm ex infinita multitudine hominum exiſtere unum, qui id, quod omnibus natura ſit datum, vel ſolus, vel cum paucis facere poſſit? Aut tam jucundum cognitu, atque auditu, quàm ſapientiſſimis ſententiis, gravibuſque verbis, ornata oratio, & perpolita? Aut tam potens, tamque magnificum, quàm populi motus, judicum religiones, ſenatus gravitatem, unius oratione converti? Quid tam porrò regium, tam liberale, tam munificum, quàm opem ferre ſupplicibus, excitare afflictos, dare ſalutem, liberare periculis, retinere homines in civitate? Quid autem tam neceſſarium, quàm tenere ſemper arma, quibus vel tectus ipſe eſſe poſſis, vel provocare improbos, vel te ulciſci laceſſitus? Age verò ne ſemper forum, ſubſellia, roſtra, curiamque mediteris, quid eſſe poteſt in otio, aut jucundius, aut magis proprium humanitati, quàm ſermo facetus, ac nulla inre rudis? Hoc enim uno præſtamus vel maximè feris, quòd colloquimur inter nos, & quòd exprimere dicendo ſenſa poſſumus. Quam- E
obrem quis hoc jurè miretur, ſummèque in eo elaborandum eſſe arbitretur, ut quo uno homines beſtiis maximè præſtent, in hoc hominibus ipſis antecellat? Ut verò jam ad illa ſumma veniamus; quæ vis alia potuit, aut diſperſos homines unum in locum congregare, aut à fera agreſtique vita ad hunc humanum cultum, civilemque deducere, aut jam conſtitutis civitatibus, leges, judicia, jura deſcribere? Aut, ne plura, quæ ſunt penè innumerabilia, conſecter, comprehendam brevi: Sic enim ſtatuo: Perfecti oratoris moderatione & ſapientia, non ſolùm ipſius dignitatem, ſed & privatorum plurimorum, & univerſæ Reipubl. ſalutem maximè contineri. Quamobrem pergite, ut facitis, adoleſcentes, atque in id ſtudium, in quo eſtis, incumbite, ut vobis honori, & amicis utilitati, & Reipub. emolumento eſſe poſſitis. *Cic. in l. de Oratore.*

Circumfertur illud Heſiodi in Hecuba, è Græco ita Latinè redditum.

Quid diſciplinis, dignum ut eſt in cæteris
Sudamus, atque ſingulas inquirimus?
Ac non magis Suadelam quæ mortalibus
Regina ſola eſt, examuſſim exquiritur. F
Datoque pretio diſcitur: quo quæ velit
Ea quiſque perſuadere poſſit, & aſſequi?

Et Ovid. in Metam. l.13. in eloquentiæ laudes exſpatiatus.

——*Quid*, inquit, *facundia poſſet*,
Tunc patuit; fortiſque viri tulit arma diſertus.

Eloquentia, fortitudine præſtantior.

Arcum leva tenet, rigidam fert dextera clavam,
Contegit & Nemeus corpora nuda leo.
Herculis hæc igitur facies? non convenit illud
Quod vetus, & ſenio tempora cana gerit.
Quid quòd lingua illi levibus trajecta catenis,
Queis foſſa facileis allicit aure viros?
An ne quod Alcidem lingua non robore Gallis
Præſtantem populis jura dediſſe ferunt?
Cedant arma togæ, & quamvis duriſſima corda
Eloquio pollens ad ſua vota trahet.
*And. Alciat. Emblem.*180.

Particularia eloquentiæ ornamenta, & virtutem, ☞ *require infrà titulis ſequentibus. Item in loco de Rhetorica.*

Eloquentia considerata respectu Efficientis Causæ. Eloquentia Præditi Naturali. G

Sunt auctores, nullo uſum fuiſſe præceptore Æſchinem, ſed ex ſcriba in tribunalibus, ubi tunc verſabatur, inclaruiſſe: primùm oppugnaſſe ad populum Philippum: unde cùm celebris eſſet factus, creatum ad Arcadas legatum. Quos ut adiit, decem illa millia in arma coegiſſe adversùs Philippum. *Plutarchus in vitis Decem.*

Clariſſimi quique viri in Republica & Athenienſium, & Romanorum, antequam eloquentiæ ars, & præcepta inventa eſſent, naturali eloquentia nitebantur. Sic ante Periclem & Thucydidem, eloquentes multi habiti ſunt; nemo tamen orator verè dici potuit. Apud Romanos L. Brutus, quo Conſule Reges ſunt exacti, nativa eloquentia proculdubiò præditus fuit. M. Val. Dictator, paucis annis poſt reges exactos, cùm plebs propè ripam Anienis montem ſacrum occupaſſet, dicendo ſedavit diſcordias, eamque ob cauſam Maximus fuit appellatus. L. Valerius Potitus, poſt Decemviralem invidiam, plebem in patres incitatam, legibus & concionibus ſuis mitiga-
vit. Appius Claudius Senatum jamjam inclinatum, à Pyrrhi H
pace revocavit. C. Fabricius ad Pyrrhum de captivis recuperandis orator miſſus eſt. T. Coruncanus ex Pontificum commentariis longè plurimùm ingenio valuiſſe videtur. Man. Curius Tribunus plebis, interrege Appio cæco, diſerto homine, comitia contra leges habente, cum de plebe conſulem acciperet, patres antè auctores fieri coegit. Marc. Popilius Conſul, cum ſacrificium publicum cum læna faceret, quòd erat flamen Carmentalis, plebis contra patres concitatione nunciata, ut erat læna amictus, ita venit in concionem: ſeditionemque cum auctoritate, tum oratione ſedavit. C. Flaminius, qui Trib. pleb. legem de agro Gallico & Piceno viritim dividendo tulit, & Conſul apud Thraſimenum interſectus eſt, dicendo valuiſſe videtur. Sed eos oratores habitos eſſe, aut omninò tum ullum eloquentiæ præmium fuiſſe, hiſtoriæ non tradunt: tantummodò conjectura ducti, ſuſpicari poſſumus. Primus Corn. Cethegus, Ennii auditor, eloquẽs habitus eſt. *Cic. in Brut.*

Scipionum familia & eruditionem & eloquentiam hæreditariam propè habuit. Nam Cicero in Bruto, Scipionis collegæ ſui eloquentiam extollit, & ex ipſius ſapientiæ ſtirpe ge-

A neratum aſſerit. Nam & duos avos habuit clariſſimos, Scipionem & Craſſum: & tres proavos, Q. Metellum, P. Scipionem, qui Tiber. Gracchum occidit, & Q. Scævolam augurem, juris peritiſſimum: duos deinde abavos illuſtres, Publ. Scipionem Corculum, bis Conſulem, & C. Lælium omnium ſapientiſſimum. O generoſam, inquit, ſtirpem, & tamquam in unam arborem plura genera, ſic in iſtam domum, multorum inſitam atque illuminatam ſapientiam! *Idem.*

Gracchi duo non tam in gremio, quàm in ſermone matris Corneliæ, quæ eloquentiſſima fuit, educati ſunt.

Lælia Caij filia, patris elegantia tincta fuit. Filiæ ejus Mutiæ ambæ, & neptes Liciniæ, L. Craſſi filiæ quarum altera Scipionis fuit uxor, & filium habuit Craſſum, eloquentiſſimum, qui Craſſi teſtamento fuit adoptatus. *Cic. in Bruto.*

C. Carbo, filius eloquentiſſimi viri Carbonis, non ſatis acutus orator fuit. Facilè tamen dicebat, & auctoritatem naturalem quandam habebat oratio. *Idem.*

Curio ætate Ciceronis literarum admodùm nihil ſciebat, memoria infirma erat, inventione tardus, diſpoſitione confuſus: tamen uſu quodam domeſtico, Latinè non peſſimè lo-
B quebatur: ut natura potiùs, quàm arte eloquentiam adeptus vulgò videretur, quamvis reverà eloquens non eſſet.

C. Licinius Calvus à magiſtris parùm inſtitutus, naturam habuit admirabilem in dicendo. *Idem.*

M. Calphurnius Piſo orator, à natura genus quoddam acuminis habuit, quod erat in reprehendendis verbis acutum atque ſolers; ſed ſæpè ſtomachoſum, interdum etiam facetum. *Cicero in Bruto.*

☞ *Quære in fine hujus Loci, Eloquentiæ præſagia.*

Artificialis.

☞ *Exempla hujus ex ſeqq. Titulis petantur.*

Heraclitus Lycius ſub Severo celebris, ſolus ſophiſtarum ad artem dicendi induſtria & labore, natura minimè adjuncta, contendit. *Volater. lib.15. Antroph.*

Eloquentiæ Professores Otiosi, Scholastici.

Huc pertinent Rhetores, Declamatores, Dicendi Magistri.

C ☞ *Hoc tit. & eos, qui artem eloquentiæ profitentur, eamque ſe alios docere poſſe aſſerunt; & eos, qui umbratili exercitatione contenti, privatas ſuas habent exercitationes, neque in lucem hominum prodeunt, complectemur. Quòd ſi id quod ſæpè uſuvenit, vel theoricum, vel practicum vitæ genus amplectantur, & in eo excolendo eloquentiæ utantur præſidio, ad ſequentes locos pertinebunt. Proinde ex Titulo Oratorum, δημαγωγῶν, Politicorum, exempla non pauca, Demoſthenis, Lyſiæ, Ciceronis, & ſimilium, petenda erunt, quatenus & illi Rhetores fuerunt, ſed artis exercitationem è ſchola in forum, ex umbra in ſolem produxere. Ex Sophiſtarum catalogo rationem pete, cur & olim & poſteris temporibus ſub Imperatoribus Sophiſtarum appellationem Rhetores induerint. Nam quando Philoſtratus, Eunapius, Quintilianus de Sophiſtis loquuntur, Eloquentiæ doctores & profeſſores intelligunt: non eos, qui ut nomine, ſic & rerum cognitione à philoſophorum excellentia quam longiſſimè abſunt.*

Paridem Priami filium educatum ferunt, patris juſſu, in loco quem Amandrum dixere, mox verò & Parion de ipſius nomenclatura, tribus ferè annorum decadibus. Atque inibi
D quum natura ingenioſus foret, Græcis imbutum diſciplinis, in quibus ubi haud parùm profeciſſe eſt viſus, etiam Veneris laudes, oratione edita, prolibavit: inque ea Palladi ac Junoni præſtare contendit. Quando, ut videtur, deæ nomine concupiſcentias eſſe intelligendas ſignificabat, atque voluptates (ſicuti meminit Athenæus quoque) unde mala omnia ſeſe mortalibus effundant. Atque hinc fabellæ occaſionem datam, inter diſceptantes deas captum judicem, datumque Veneri malum, id eſt, victoriam. Quin & Paris idem in eandem hymnum ceciniſſe narratur, quem vocat Ceſton. Hinc à patre acceſſitus, emiſſuſque ad rem divinam abeundam, quum Spartam appuliſſet, Helenam rapuit. *Cælius l.19. c.19. Antiq. Lect.*

Pittheus rex Trœzeniorum, maternus Theſei avus, artem dicendi Trœzene docuit, in Muſarum cella, quæ eſt in foro, non procul à tribus ſoliis, in quibus jus dicere ſolebat. *Pauſanias ſe librum à Pittheo ſcriptum, ab Epidaurio verò homine editum, legiſſe teſtatur in Corinthiacis.*

Antiphontem Rhamnuſium Rhetoricam primum inveniſſe dicunt: quidam verò inventam excoluiſſe, atque auxiſſe. Homo fuit dulci admodùm pronunciatione. Ex
Philoſtrato recitat. Volat. lib.13. capite 3. Anthrop. E

Cephalus Athenienſis orator, primus prooœmia & epilogos induxit. *Suidas.*

Protagoras Abderites, vel Thejus, Artemonis filius, aut Mæandri, cùm bajulus eſſet, collocutus cum Democrito, eruditionis amore captus eſt: & philoſophatus, ad eloquentiam ſe contulit, primuſque Sophiſta eſt cognominatus. Nam primus ἐριστικοὺς λόγους, hoc eſt, contentioſas orationes invenit, certamen verborum inſtituit, & centum minas à diſcipulis exegit. Itaque λόγος ἔμμισθος, ſermo mercenarius, eſt cognominatus: Prodici & Iſocratis magiſter. Libri Protagoræ ab Athenienſibus cremati ſunt, quòd aliquando ſic exorſus eſſet orationem: De diis ſcire non poſſum, neque an ſint, neque an non ſint. *Suidas & Cælius lib.13. c.7.*

Prodicus Cejus, ex inſula Ceo, urbe Julide, philoſoph. & ſophiſtes, æqualis Democriti, diſcipulus Protagoræ, Athenis hauſta cicuta periit, quòd adoleſcentes corrumperet. Ab hoc proverbium manavit, Προδίκου σοφώτερος, Prodico ſapientior. Primus quinquaginta drachmis declamitavit. Meminit *Plato ejus in Protagora, & Xenophon in Apponnemoneumatis. Suidas.* F

Hippias Diopithis filius, Eleus, ſophiſtes & philoſophus, diſcipulus Hegeſidami, finem bonorum ſtatuebat αὐτάρκειαν, ſive animum ſua ſorte contentum, ſive earum rerum facultatem, quæ ad victum cultumque & corporis & animi pertinerent, ſeu potiùs utrumque. Scripſit multa. *Suidas.*

Zoilus ſophiſta Amphipolitanus Macedoniæ, cognomento Homeromaſtix, quòd Homerum derideret. Quapropter Olympiæ ſpectatores eum de Scironiis rupibus præcipitem egerunt. Grammatica quædam ſcripſit contra Homerum: Poeſos libros novem: Hiſtoriam de hortu deorum uſque ad obitum Philippi: Libros tres de Amphipoli, & contra Iſocratem oratorem, aliaque plurima, in quibus fuit & Homeri vituperatio. *Suidas.*

Gorgias Charmantidæ filius, Leontinus, Empedoclis diſcipulus, magiſter Poli Agrigentini, Periclis, Iſocratis, & Alcidamantis Eleatæ, qui in ſchola illi ſucceſſit. Frater Herodici Medici, primus neglectam adhuc dicendi ex arte rationem excitaſſe dicitur, & de ea ſcripſiſſe. Dedit magnum eloquentiæ ſpecimen, & in quinquennali Olympiæ celebri-
tate, & in ea legatione, qua functus eſt Tiſiæ collega apud G
Athenienſes: ſed eo longè clarior. Eum Jaſon Theſſaliæ tyrannus pluris multò fecit, quàm Polycratem, qui nulli fuit in Athenienſium ſcholis eloquentiæ laude inferior. Vixit annis haud minùs quinque, ampliùs quàm centum. Statuam in Alti Olympiæ habuit, dedicatam ab Eumulpo Deicratis nepote, ſororio ſuo. *Pauſania lib.6. & Suidas. Cic. lib.3. de Orat.* ſtatuam ei auream Delphis à Græcis poſitam ſcribit: Philoſtratus adjicit, orationi hoc Pythiæ tributum.

Sophiſtarum artem, perinde ac in patrem, in Gorgiam referimus. Sophiſtices, quæ ſecunda dicitur, principem ferunt Æſchinem. Qui tametſi ut φιλοπότης ἡδὺς καὶ ἀνειμένος, hoc eſt, vini appetens, voluptuarius, ac remiſſior inceſſitur: primus tamen inter ſophiſtas creditus eſt, θείως λέγειν. *Cælius lib.19. cap.17.* Eloquentiſſimum eum fuiſſe, ſatis conſtat, & quidem ampla & decora voce: nec deſunt, qui proximum ei poſt Demoſthenem locum aſſignent: natura magis valuit, quàm arte. Quidam illum nullius fuiſſe diſcipulum tradunt, ſed repentè è ſcriba factum orato-
rem, dixiſſeque primùm adversùs Philippum Macedoniæ H
regem: hinc famam popularem gratiamque auſpicatum, ideò & miſſum ad eundem regem legatum. Alii magiſtros ei dant Platonem & Iſocratem, quidam Leodamanta. Genus illud dicendi Rhodium, inter Aſianum & Atticum medium, Æſchines Rhodi in ſucceſſu inſtituit, cùm ibi aperuiſſet ſcholam.

Tiſias Siculus, collega Gorgiæ in legatione apud Athenienſes, dicendi facultate omnes antecelluit ſuæ ætatis oratores. Colligitur id ex oratione ejus ſubtili & peracuta, quam in lite Syracuſanæ mulieris habuit. Gratior tamen fuit Gorgias. *Pauſanias lib.6.*

Isocrates Theodori filius fiſtularum fabri, Athenienſis, natus Olympiade LXXXVI. poſt bellum Peloponneſiacum: ob vocis imbecillitatem & verecundiam cauſas non egit. In Chio artem docuit, magna auditorum frequentia: ſed & magiſtratus Chii ordinavit, eandemque, quæ in patria ſua erat, reip. rationem: tantumque, quantum nemo ſophiſta alius, pecuniæ quæſivit, ut inſtructam ſuis impenſis præberet triremem. Orationes ſcripſit XXXII. Cùmque annos cx. vel cvi. vi-

A vixiſſet, accepta ad Chæronæam clade, quatriduana inedia ſemetipſum confecit. Diſcipulus Gorgiæ, aut Tiſiæ, aut Ergini, aut Prodici, aut Theramenis. A Socrate commendatur in Phædra, & à Cicerone, multùm licèt diſſentiente Bruto. Ex ejus ſchola, tamquam ex Trojano equo, prodiit numeroſa illa cohors eorum, qui in dicendo & Repub. adminiſtranda plurimùm in Græcia valuerunt. Eloquentiam teſtantur diſcipuli, & monumenta ingenii: in quibus eſt mira ſermonis dulcedo, & aptiſſima compoſitio, numeris ad ornatum adſtricta. *Cicero in Oratore* fatetur, ex illius opibus ornatiorem ſe, ac locupletiorem fieri. Itaque maximo pretio atque honore eſt per gentes omnes habitus: nactuſque eſt ſine foro, intra domeſticos parietes, eam gloriam, qualem rari ex iis, qui in ſolem certamenque prodierunt, ſunt conſequuti. Conſtat, perbreves ſepè orationes ab eo ſcriptas, ingenti auri pondere à principibus viris repenſas eſſe: ut ab Artemiſia regina Cariæ, & à Nicocle rege Salaminę. *Plutarchus in vitis Decem, & Suidas.*

Iſocrates Ampelæ Philoſophi filius, Apolloniæ in Ponto, aut Heracleæ natus, diſcipulus & ſucceſſor majoris Iſocratis, B Platonis auditor, cum Theodecte, Theopompo Chio, & Erytræo Naucratita, de eloquentia certavit in funere Mauſoli, regis Helicarnaſſi. *Suidas*. Hunc Harpocration, qui ut ἐπακτὸς ὅρκος, exponens, Parænefeos ad Dæmonicum auctorem facit. Quam tamen ipſam tertio Iſocrati, qui temporibus Ciceronis floruit, *Dionyſius Halicarnaſſeus in l.* de arte Rhetorica, tribuit, quem ſuum, & Echecratis, ad quem ſcribit, ſodalem facit. *Muretus lib.*1. *c.*1. *variarum lect.*

Philiſcus Mileſius, Iſocratis auditor, fuit priùs tibicen maximè admirabilis: propterea Iſocrates eum αὐλοτρύπην, tibiarum perforatorem, vocabat. *Suidas.*

Traſymacus Carthaginenſis ſophiſta periodum & colon, id eſt, membrum, priùs monſtravit, & modum, qui nunc Rhetorices, induxit. Fuit diſcipulus Iſocratis. Scripſit de arte Rhetorica. *Suidas.*

Conſtat, Ariſtotelem philoſophum jam doctrinæ nomine clariſſimum, animadverſa Iſocratis oratoris gloria permotum, ad eloquentiæ ſtudium vertiſſe animum. Quod cùm in multis locis, tum in Oratore Ciceronis habetur expreſſiùs, C his verbis: Ariſtoteles cùm florere Iſocratem nobilitate diſcipulorum videret, quòd ipſe ſuas diſputationes à cauſis forenſibus & civilibus ad inanem ſermonis elegantiam tranſtuliſſet, mutavit repentè totam formam propriæ diſciplinæ. Itaque ornavit & illuſtravit doctrinam illam, & omnem rerum cognitionem cum orationis exercitatione conjunxit. Nec verò hoc fugit ſapientiſſimum regem Philippum, qui hunc Alexandro filio doctorem addiderit, à quo & ſciendi præcepta perciperet, & loquendi. Cicero ipſe in Rhetoricæ ſuæ libris non diſſimulat, illum arti Rhetoricæ plurima adjumenta, atque ornamenta ſubminiſtraſſe. Veteres, inquit, ſcriptores artis, à principe illo atque inventore Lyſia, unum in locum conduxit Ariſtoteles, & nominatim cujuſcumque præcepta, magna conquiſita cura, perſpicuè conſcripſit, atque denudata diligenter expoſuit. Hinc tantum inventoribus ipſis ſuavitate & brevitate dicendi præſtitit, ut nemo illorum præcepta ex ipſorum libris cognoſcat: ſed omnes, qui, quod illi præcipiant, velint intelligere, ad hunc quaſi ad multò commodiorem explicatorem revertantur.

D Theodectes Ariſtandri filius, Phaſelites, Lycius, orator, diſcipulus Platonis, Iſocratis, & Ariſtotelis. *Vide tit. Tragicorum*. Scripſit artem oratoriam verſu, & alia quædam ſoluta oratione. Habuit filium ejuſdem nominis, qui ſcripſit inter alia etiam artem dicendi. *Suidas.*

Amphicrates Athenienſis Rhetor, exulaſſe dicitur Seleuciæ ſuper Tigrim poſitæ. Rogantes autem cives, ut ludum ibi aperiret, rejecit, inquiens: Nec Patinam Delphini capacem eſſe. Cùm inde contuliſſet ſe ad Mithridatis filiam Tigrani nuptam, preſſus calumniis, atque interdicta ſibi Græcorum conſuetudine, vitam inedia finivit. *Plut. in Lucullo.*

L. Plotius Gallus, primus Latinè Rhetoricam docere cœpit, puero exiſtente Cicerone, magna cum frequentia. Dolebat Ciceroni, quòd eum audire non poſſet: continebatur enim doctiſſimorum hominum auctoritate, qui exiſtimabant, Græcis exercitationibus meliùs ingenia ali. *Svetonius de Claris orat.*

L. Octacilius Pilitus, ſervus oſtiarius primò, deindè ob ſtudia manumiſſus, Rhetoricamque profeſſus, Cn. Pompejum Magnum docuit, ejuſque patris res geſtas ſcripſit: primus E omnium libertinorum hiſtoriam ſcribere aggreſſus, non niſi ab ingenuis ſcribere ſolitam. *Idem.*

Epidius rhetor, inter cæteros docuit M. Antonium, & Auguſtum. *Idem.*

Sex. Cladius Siculus, Latinæ Græcæque eloquentiæ profeſſor, malè oculatus & dicax, M. Antonio triumviro amiciſſimus extitit, & ab eo dicacitatis cauſa ingenti congiario donatus. Quod quidem Antonio objicit Cicero in Philippicis. *Idem.*

C. Albutius Silus, Novarienſis, Romæ docuit. Egit etiam cauſas, ſed parvo cum ſucceſſu. Jam ſenex Novariam rediit, & convocata concione, cauſas propter quas mori deſtinaſſet, explicavit, & inedia ſeipſum necavit. *Idem.*

Apollonius Molo, Rhodius, præceptor Ciceronis Rhodi, Rhetor clariſſimus, ſcriptor præſtantiſſimus in adnotandis animadvertendiſque vitiis, in inſtituendo docendoque acutiſſimus. *Cicero in Bruto.*

Stato, rhetor, M. Bruti, ab Octavio & Antonio victi, ad Philippos comes: ultimum ei officium præſtans, latus ſic F petenti aperuit, ne à ſervo occideretur: quanquam aliquandiù tam triſte miniſterium amico denegarit. *Sabellicus lib.* 8. *Ennead.* 6. *ex Plut.*

Barus Geminus, declamator, Cæſari dixiſſe fertur: Cæſar, qui apud te audent dicere, magnitudinem tuam ignorant: qui non audent, humanitatem. *Svetonius.*

Apollodorus Pergamenus, Cæſaris Auguſti præceptor & familiaris, ſcripſit de arte Rhetorica. *Strabo.*

Timagenes regii argentarii filius, Alexandrinus, vel Ægyptius, ſub Pompejo Magno bello captus, Romamque perductus è Gabinio, & à Fauſto Syllæ filio redemptus, Romæ docuit, ſub Pompejo, & Auguſto. Cùm ob linguæ libertatem ſcola excidiſſet, in Tuſculano vitam peregit. Mortuus eſt, cùm poſt cœnam vomere vellet, vertigine correptus. Multos libros ſcripſit. *Suidas.*

Aſinius Pollio, Trallianus, ſophiſta & philoſophus, Romæ docuit ſub Pompejo Magno, ſchola Timagenis ſuſcepta. Scripſit quædam. *Suidas*. Primus omnium Romanorum, advocatis hominibus ſcripta ſua recitavit. *Seneca in Declam. & Quintilianus lib.*10. Declamationes ſuas nunquam po- G pulo commiſit, vir alioqui naſutiore judicio. Carpebat in Livio Patavinitatem, in Cæſaris commentariis infidelitatem, in Salluſtio verba obſoleta, in Cicerone ſtylum nimis exanguem. Primus Romæ bibliothecam publicavit.

Domitius Afer t Novarienſis, Neronis temporibus, verborum arte & toto genere dicendi præferendus, & quem in numero veterum recenſet *Quintilianus lib.*10. *c.*1.

Clodius Sabinus, declamator tempore Senecæ, lepido vir ingenio. *Seneca.*

M. Portius Latro, orator gravis, nec citra ſuavitatem, fuit in omni re nimius, quod Seneca ſcribit. Quippè nec remittere, inquit, ſtudia ſciebat, nec repetere. Ubi ſe ad ſcribendum concitaſſet, jungebantur noctibus dies, & ſine intervallo graviùs ſibi inſtabat: nec deſinebat, niſi deficeret. Rurſus, quum ſe remiſerat, in omnes luſus & jocos reſolvebatur. Quum verò ſe ſylvis & montibus tradiderat, homines illos agreſtes, in ſylvis ac montibus natos, laboris patientia ac venandi ſolertia provocabat: & in tantam ſic vivendi perveniebat cupiditatem, ut vix poſſet ad priorem conſuetudinem retrahi. At, quum ſe revocaſſet, tantis viribus incumbebat in H ſtudium, ut non tantùm nihil perdidiſſe, ſed multum acquiſiviſſe deſidia videretur.

Potamoon Mitylenæus, filius Lesbonactis, docuit Romæ ſub Tiberio. Scripſit de Alexandro Macedone, Limites Samiorum, Bruti laudationem, de perfecto oratore. *Suidas.*

Acuſilaus Athenienſis, Agathocliæ filius, ſub Galba Romam profectus Rhetoricam docuit: & locupletatus, Athenienſibus moriens reliquit CM. drachmarum, ex uſuris. *Suidas.*

M. Fab. Quintilianus Caligurritanus, ut Euſebio placet, Inſtitutionum oratoriarum libros 16. adeò quidem utiles, & poſteritati probatos ſcripſit, ut D. Hieronymus eos ſe diligenter lectitaſſe, & inde plurimùm profeciſſe fateatur. Romam ex Hiſpania ductus eſt ab Imp. Galba, teſtè Svetonio. *Volaterr.*19. *lib. Anthrop.*

T. Caſtritius Rhetoricæ artis doctor Romæ, ſumma auctoritate apud Hadrianum principem; quo ſe magiſtro uſum *Gellius dicit lib.*3. *c.*20.

Zenodotus docuit Romæ ſub Adriano: ſcripſit Epitomem pro-

A proverbiorum Didymi, convertit in Græcum ſermonem hiſtoriam Salluſtii.

Nicetes Smyrneus, ſophiſta, Adriani Principis tempore, quum cauſas tentaret in foro, etiam ampliſſimus videbatur. Adeò ingenium ad utramque dicendi rationem accommodarat, ut judiciale, ſophiſtica quadam facultate exornaret; ſophiſticum verò & umbratile, forenſibus aculeis roboraret. *Philoſtratus in Sophiſta.*

Ariſtocles Pergamenus, ſophiſta ſub Trajano & Adriano, ſcripſit Artem rhetoricam. *Suida.*

Dion Pruſaenſis, ſophiſta, quem Chryſoſtomum appellabant, pelle leonina amictus in publicum procedebat. Pro Homero contra Platonem libros quatuor ſcripſit. Item de virtutibus Alexandri Magni libros decem, & laudem Herculis. Trajano fuit familiaris. *Suidas.*

Longinus Caſſius, philoſophus & orator, Porphyrii magiſter, vir magna doctrina, ab Aureliano Imperatore occiſus eſt per cauſam conſpirationis cum Zenobia Odenati uxore. *Suid.*

Fuit hic ſpirans quædam bibliotheca, & vivum Muſęum, B cui de veteribus judicandi poteſtas permiſſa erat. *Eunapius.*

Polemon Laodicenſis, ad Lycum fluvium, ſophiſta, Smyrnæ docuit, Ariſtidis oratoris magiſter, ſub Trajano, diſcipulus Timocratis philoſophi, Pontici Heracleotæ, & Scopeliani ſophiſtæ. Anno ætatis quinquageſimo ſexto ſeipſum in ſepulcrum conjecit, necemque ſibi conſcivit inedia, propter morbi articularis cruciatus. Cùm autem à propinquis & amicis lugeretur, dixiſſe fertur: Date mihi aliud corpus, & aſcendam. Et medicis, à quibus diutiùs ſecabatur: Quamprimùm, inquit, Polemonis latomias excidite. *Suidas.*

Hermogenes Tarſenſis, cognomine Xyſtor, anno ætatis decimo quinto tantam gloriam eſt adeptus, ut Marcus Imperator & Muſonius philoſophus, ejus audiendi amore caperentur. Auditorium ingreſſus Marcus, eo diſſerente eſt delectatus, & ex tempore loquentem, admiratus. Ad Marcum Imperatorem extant verba illa: Venio, inquit, ad te Imperator, pædagogo indigens rhetor, & rhetor ætatem expectans. Quo nomine à Marco Antonino Imperatore munificè dimiſſus eſt. C Anno ætatis IIXX. Artem ſcripſit, quæ etiamnum cum admiratione omnium teritur manibus. Cæterùm ipſe hic ingenioſus adeò, & ultra ætatem diſciplinis imbutus, agens quartum & viceſimum annum, mente lapſus eſt, nulla evidenti cauſa. Vixit quidem diù, ſed ut unus ex multis. Memoriæ proditum eſt, mortui corpore diſſecto, cor hiſpidum fuiſſe repertum, ſed & magnitudine viſenda. *Cælius lib.*21. *c.*16. *Antiq. Lect. ex Philoſtrati Sophiſtis & Suida.*

Ecebolius ſophiſta Conſtantinopolitanus, ſub Conſtantino Magno Chriſtianus ardentiſſimus viſus, mox ſub Juliano principe apoſtata apparuit. *Suidas.*

Proæreſius Cappadox, Ulpiani Antiocheni rhetoris diſcipulus, mox Athenis Juliani, αὐτοσχεδιαστικῇ eloquentia & memoria ad miraculum uſque pollebat. Procerus & pulcher admodùm. Pede uno cæteris altior extabat. Juliano ſucceſſit Athenis, ſed æmulorum calumniis inde pulſus eſt. Conſtantem Cæſarem in Gallias ſecutus, Barbaris tanquam Deus admirationi fuit. Romæ ſtatuam meruit. A Cæſare precarium munus obtinuit inſulas tributarias & vectigales Athenarum civitati in pendendo frumento, & Caſtrorum præfe- D cti nomen accepit. Obiit nonagenarius. *Eunapius.*

Diophanthus Arabs, Rhetorices profeſſor Athenis, Proæreſii æmulus, præceptor Libanii, orationem funebrem in morte Proæreſii habuiſſe dicitur, ejuſmodique elogium addidiſſe: Nunc ſilentio obrutæ jacetis Salamin atque Marathon: Quanta etenim veſtris trophæis atque victoriis tuba interiit? *Eunapius in ejus vita.*

Antipater ex Hieropoli Aſiæ civitate, ſophiſta nobiliſſimus, præceptor filiorum Severi principis. *Philoſtratus.*

Hermocrates Phocenſis, clarus ſophiſtica facultate, Severi principis filiam, Imperatore compellente, in uxorem duxit. *Idem.*

Heraclitus Lycius, domi vir clarus, ſed multò clarior ſophiſtica facultate: qui cùm olim apud Severum principem ex temporali facultate, præſentibus quoque aulicis diceret, exterritus ſermone excidit. Solus ſophiſtarum ad hanc artem induſtria & labore, & natura minimè adjuvante, contendit. *Volaterranus lib.*15. *Anthrop.*

Julianus Cappadox ſophiſta, Athenis floruit, Ædiſii ſophiſtæ diſcipulus, Conſtantii principis tempore: ad quem omnis undique juventus diſcendæ Rhetoricæ gratia conflue- E bat. *Eunapius.*

Libanius ſophiſta, Phaſganii filius, Diophanti & Proæreſii diſcipulus Athenis, ex Antiochia, Cœloſyriæ civitate, adverſis procellis agitatus, in patriam reverſus eſt, ibique Rhetoricam docuit, in qua multos viros excellentes reddidit: inter quos D. Gregorius, Chryſoſtomus & Baſilius fuere. Quamobrem in Juliani principis dignationem veniens, ab eo pluribus honoribus ornatus, præfectique prætorii honorem titulotenus oblatum reſpuit, dictitans: plus eſſe Sophiſtam agere, quàm præfectum: in hoc gloriam citò perituram, in illo perpetuam eſſe. *Suidas & Eunapius, & Socrates lib.*4. *c.*26.

Acacius rhetor, è Cæſarea Palæſtinæ oriundus, vehemens in dicendo; & modum referens antiquum, ætate admodùm adoleſcens: qui ita tamen ſuſpiciebatur, ut Libanii ſophiſtę (cujus ſodalis erat) famam ſuperaturus videretur, niſi juvenis deceſſiſſet. *Eunapius.*

Lucianus Samoſatenſis, cognomento Blaſphemus, ſive Dyſphemus, maledicus, inauſpicatus, impius, quòd in ſuis Dialogis divina oracula pro ridiculis inducit. Sub Trajano Cæſare initio cauſidicus Antiochiæ fuit: quæ res cùm ei malè F ceſſiſſet, ſe ad ſcribendum contulit, ſcripſitque infinita. Interiiſſe fertur à canibus, cùm rabiem ſuam contra veritatem exercuiſſet. Nam in Peregrini vita perſtringit Chriſtianiſmum, & ipſi Chriſto maledicit, homo conſceleratus. *Suidas, Eunapius* hominem γελωτοποιὸν, ad concitandum riſum factum ait.

Antiphon, à perſuadendi potentia Neſtor cognominatus, nepentes auſcultationes promittere ſolebat: quando nullus tam atrox erat, infeſtuſque dolor, cujus vellicationes civili eloquentia non lenire modò, ſed excutere etiam noſſet. Ex quo arbitror Plutarchum ſcribere, ab Antiphone excogitatam τῆς ἀλυπίας τέχνην, artem alipiæ: quæ vox triſtitiæ carentiam indicat. *Cælius lib.*19. *c.*3. *Antiq. Lectionum.*

Oſcus rhetor, cùm eloquentiſſimus eſſet, illius tamen orationem nihil aliud vitiabat, quàm affectatio; nil enim ſine ſchemate dixit unquam. Ideòque cùm Pacatus rhetor Maſſiliæ ei obviam factus eſſet: Poteram, inquit, dicere, Ave Oſce. Affectatorem affectata ſalutavit oratione, uſus enim eſt ironica occupatione, præter omnem neceſſitatem, ut ir- G rideret hominem, ſemper affectatè loquentem. *Bruſonius l.* 4. *c.*31. *& Eraſmus lib.*8. *Apophț.*

Hippodromus Theſſalus Lariſſæus, circa Marci Antonii tempora Athenis ſcholæ ſucceſſit, ſophiſta clariſſimus. *Philoſtratus.*

Damianus Epheſius, ſophiſta nobilis, circa Marci Antonini principis tempora, divitiis ac potentia inter ſuos præditus, viros doctos liberalitate proſequutus eſt. Eloquentiæ quoque genus ſecundùm naturam imitatus. *Philoſtratus in Sophiſtis.*

Scopelianus Clazomenius inter nobiliſſimos ſophiſtas à Philoſtrato refertur, Herodis Attici præceptor. Docuit Smyrnæ magna celebritate. Quo jam ſeneſcente, cum Polemon orator de rebus magnis Smyrnæorum mitteretur, converſus ad eum ait: Δός μοι ὤμοιιν τὰ σὰ τεύχεα θωρηχθῆναι: h.e.

Arma humeris tua nunc concede in prælia noſtris,
Quæ tibi me ſimilem faciant.

Verba autem ſunt Patrocli ad Achillem, apud Homerum. *Philoſtratus.*

Herodes cognomento Julius, genere Æacides, Athenienſis, H Marathonio municipio, ſophiſtes, theſauro reperto tantas opes conſecutus, ut & ſtadium conderet Athenienſibus, & theatrum tecto munitum. Pater ejus Atticus, Plutarchi filius Aſiæ præfuit. Conſulatum bis geſſit. Sub Adriano & Marco Antonino vixit. Favorini & Polemonis diſcipulus. Obiit anno ætatis circiter LXXVI. tabe confectus. *Suidas*. Orator in dicendo ſublimis habitus, ornatu non dithyrambico, neque verba ex poetica mutuando, ſed receptiſſima, brevitate alioquì accommodata rebus; in defenſionibus vehemens & gravis, Atticæ linguæ ſobrius imitator. Vox ei tragœdorum haud affectata, ſed facilis & tempori accommodata. Habebat & figurarum varietatem, & cum perſpicuitate receſſum. Ob ſplendorem & magnitudinem orationis, à quibuſdam ſiccitatem amãtibus, Orator ſignatus eſt appellatus. *Philoſtratus in ejus vita.*

Adrianus rhetor, Herodis diſcipulus, & ſucceſſor, ſub Marco Antonino, æmulam Ariſtidi rhetori ſcholam Athenis habuit. Docuit etiam Romæ, & à Commodo ἀντιγραφεὺς conſtitutus eſt, ut exempla litterarum in codicem referret. *Suidas*. Erat quandoque in Jonia Imperator Marcus, necdum Ari-